

COMMONITORIUM

S. VINCENTII LERINENSIS.

P R A E M I S I T

EPISTOLAM ET PROLEGOMENA

AC NOTIS ILLUSTRAVIT

ENGELB. KLÜPFEL AUG.

THEOLOGUS FRIBURGENSIS.

VIE NNAE,

A P U D G. B I N Z. MDCCCIX.

SERENISSIMO PRINCIPI
RUDOLPHO
AUSTRIAЕ ARCHIDUCI,
CAESARIS
NEPOTI, FILIO, FRATRI
COADJUTORI
ARCHIEPISCOPI OLOMUCENSIS,
DOMINO AC PATRONO
PERPETUA FIDE COLENDO.

Ad pulvinar TUUM, PRINCEPS SERENISSIME, depono ea, qua par est, reverentia scriptorem veterem ecclesiasticum, novis renatum curis. Conveniens mihi visum est, immo justum, adavitam Habsburgicorum Domum referre auctorem, qui augustissimae huic prosapiae dudum mancipatus erat, ac proprius; ex quo videlicet tempore in jus transiit Annae Austriacae. Quare ini quis viderer, et plagii reus; si Vincen tium repetita gennesia in lucem recens editum augustae Domui subducere vel lem, et addicere alieno domino. Absint haec a me: neque enim immemor sum dicti illius: Cuique suum.

Quandoquidem Lerinensis presbyter jure quodam suo debetur Austriae Principibus: non diu, nec multum hæ sitavi, ad quem potissimum e Domo Cæ sarea Principem, reducendum putarem studiis meis regeneratum auctorem. Tradit Vincentius in opere, quod reli

quit, regulam fidei; atque ita tradit, ut
nemo ex reliquis ecclesiasticis scripto-
ribus tam luculenter, tamque explicate.
Nosse ac tueri regulam fidei, a qua ne
latum unguem veris Christi cultoribus
discedere fas est, praecipuum munus et
cura peculiaris est Episcoporum. Huic
ordini, PRINCEPS SERENISSIME,
cum destinaveris animum; jamque to-
tus in eo sis studiorum genere, quod ec-
clesiasticos Praesules in primis decet,
atque ornat, non alii congruentius litte-
rarum hoc monumentum consecrari pos-
se, persvassimum habeo: gaudeboque
majorem in modum, ubi sensero, tanti
Principis auctoritate perfectum esse, ut
Vincentius commendatior, aut certe fa-
miliarior in studiosorum manus veniret,
quibus velim eum esse longe commen-
datissimum atque familiarissimum. Ita
enim habeo, ea, quae per se recta sunt,
tunc tandem magnam adferre utilitatem:
si favorem publicum meruerint. Quam

ad rem plurimum adferet momenti: si fuerit declaratum palam, fuisse id operis summorum Principum patrocino, lectione atque assensu comprobatum. Quod ubi evenerit, qualemcunque hunc laborem, quem in perpoliendo hoc scriptore posui, cumulatassime compensatum arbitrabor.

Accipe itaque, AUGUSTE PRINCEPS, serena, ut soles, fronte foetum hunc litterarium, tanquam tributum officii debiti, et vectigal grati animi, perpetuaeque reverentiae, quod immortali Mariae Theresiae, aviae TUAE glriosissimae, multis devinctus titulis, debeo. Redeat ergo, quidquid id est, memoris et obsequentis animi pignus ad RUDOLPHUM, nepotem dignissimum, nec disparem Francisco Caesari, germano suo, qui in tanta rerum mole, inter tot, gravissimasque imperii curas, praeter avitam religionem, et sacras aras, disciplinarum optimarum amplificare

latifundia , augere magnis sumptibus
rem librariam , propositisque praemissis
eruditorum ingenia ad solertius colen-
dum hunc agrum excitare , nihil potius
habet , aut antiquius. Quare optima
quaeque de TE , OPTIME PRINCEPS ,
licet ominari : neque dubitandum , quin
egregius virtutum , honorumque studio-
rum proventus magnificae spei , quam
de se primae aetatis velut herba pree-
bebat , suo tempore abundantissime
respondeat. Deum veneror , atque sup-
plex oro , ut , RUDOLPHE , Princi-
pum decus , cum tota Augusta Domo
diutissime vivas , et felix valeas. For-
tunet divini Numinis favor bene coep-
tis. Ita ex animo precor , voveoque

Friburgi Brisg.
die 28. Maii 1808.

CAESAREAE CELSITU-
DINIS TUAE

cultor perpetuus
ENGELBERTUS KLÜPFEL.

S Y N O P S I S

corum, quae hoc opusculo continentur.

I.

pag.

Epistola editoris

ad suos sacrorum dogmatum quondam auditores; in
qua redditur ratio de suscep^to consili recudendi
Commonitorium Vincentii. Traditionis sacrae ne-
cessitas ostenditur: adductis quoque eam in rem cele-
brium e *Protestantium coetu* theologorum testimo-
pii Demum indicatur, quid potissimum nova haec
editio ferat

II.

Prolegomena

quae succedunt, iis praincipue versantur, quae vi-
tam et scripta *Vincentii Lerinensis* attinent; enar-
rata sequentibus §. §.

I. Fuisse *Vincentium Lerinensem* natione *Gallum*
constat inter omnes. At obscurum est, quia in
provincia, quo loco, quibus parentibus, quove
anno editus in lucem fuerit **15**

II. Aequum est incertum, num frater fuerit *Lupi Tre-*
censis; velut non pauci contendunt **17**

- III. Etsi vero testium careamus suffragiis, affirmare tamen licet, si vitae post actae rationem habeamus, fuisse illum omni honestarum artium, virtutisque cultu, in puerili aetate, haud segniter imbutum
- IV. Qui procedentibus annis, militem fuisse volunt, et arma tractasse, aut meruisse in castris, ambiguo militiae decepti vocabulo, a vero aber rare videntur 24
- V. Dubio autem caret, mutato vitae genere, quod aliquaindiu tenuerat, amplexum eum esse institutum monasticum 26
- VI. Scripsit Commonitorium, hominum eruditorum elogiis valde commendatum. An apud Lerinenses elucubraverit; controvertitur 31
- VII. Quanquam vero suis nævis Vincentianum opusculum non careat; ut viri docti judicant. Censem enim, aspersum esse fuligine Semipelagiani erroris . 37
- VIII. Propterea tamen nihil decedit utilitati atque auctorati operis 45
- IX. Neque detrahitur quidquam sanctitati auctoris 50
- X. Vincentium Lerinensem auctorem esse Vincentianarum objectionum, probabile non est; quidquid alii sentiant. . 56
- XI. Neque veri est simile, Praedestinatum, quem Sirmondus publicavit, genuinum esse Vincen-
tii nostri foetum , 60
- XII. Idem fere statuendum est de symbolo Quicunque, quod Athanasii nomine circumfertur: se-
cus ac visum est Antelmio. Destituitur enim et testium, et codicum idoneorum auctoritate 66

XIII. Quod promisit <i>Vincentius</i> de incarnatione Verbi opus plenius, uberiorusve, an perfecerit, si- deinde datam liberaverit, merito dubitatur.	73
XIV. Postremo denique loco <i>Commonitorii</i> editi nes praecipue indicantur; una cum translationi- bus ejusdem in linguis alias	74

III.

Commonitorium

quo *Vincentius* traditionem majorum illiusque usum
atque necessitatem tuetur adversus haereticos, 43
capitulis absolvitur, praemissa *praefatione*, in
qua disserit de causa et opportunitate scribendi.
Memini it imbecillitatis memoriae. Loquitur de loco,
tempore ac vitaq; instituto; unde ad id negotii
se excitatum affirmat

79

Cap. I. Generalem tradit regulam, qua catholica ve-
ritas ab haeretica falsitate (quod a majoribus se-
edocutum esse profitetur) secerni queat; *divinae*
*scilicet legis auctoritate et ecclesiae catholi-
cae traditione*

87

II. Reddit rationem, quare scripturae sacrae adjun-
genda sit traditio: quia videlicet compertum est,
scripturam sacram, *pro sua altitudine*, aliter
atque aliter, alios atque alios interpretari

90

III. Ut vero catholicus in recipiendis traditionibus
sacris non erret: necesse est, ut id teneat, *quod*
*ubique, quod semper, quod ab omnibus tra-
ditum est*

92

IV. Quam quidem sacrae traditionis regulam, propo-
situm, solutisque variis eo de criterio quaestiu-
nis, reddidit explicatiorem

95

V. Illustrat' catholicae regulae veritatem exemplo *Afrorum*, tempore *Donati*, quo in partes abeunte, perstiterunt orthodoxi in communione ecclesiae; aversi a schismate

99

VI. In rem eandem adducitur *Arianorum* exemplum, qui, quanquam latius sint grassati; damnationis tamen sententiam adversus semetipsos tulerunt, quod novellam perfidiam sequereatur

VII. Confirmantur, quae dicta sunt, auctoritate *Ambrosii*, qui in opere de fide ad *Gratianum* imperatorem, agens contra *Arianos*, pro vetustate et sanctorum martyrum doctrina consecienda, paeclare disputat

106

VIII. Ejusdem fere argumenti sunt, quae hoc etiam capite contra eosdem adversarios proferuntur

IX. Antequam *Arius* novare coepit, avitae veritatis de fugienda novitate illustris vindex ponitur *Stephanus* papa, qui *Agrippini*, *Cypriani* aliorumque rebaptizantium rejiciens errorem, vulgatum illud intorsit: *Nihil novandum, nisi quod traditum est*

114

X. Etsi vero rebaptizantium causae patrocinia non defuerint varii generis: immota tamen, et invicta stetit catholica acies, ecclesiasticae interpretationis fulta praesidio

119

XI. Nec errorem quidquam patrum quorundam juvat lapsus; eliquato necdum, aut definito dogmate. Tum enim fieri intelligimus, ut auctores opiniis novae catholici; consecratores vero haeretici judicentur: aut, ut idem *Vincentius* habet: ut absolvantur magistri, discipuli vero condamnatur

123

- XII. Nefas esse, novare in rebus fidet, declarat apostolus testimonii pluribus. Huc maxime spectat illud *Gal. I. Licet nos aut angelus de coelo etc.* . 126
- XIII. Vindicantur dicta *Paulina* a cavillatiibus aut sinistris interpretationibus eorum, qui novandi studio ducuntur 132
- XIV. Quae hoc capite referuntur, ejusdem fere argumenti sunt, et affinia his, quae in praecedente tradebantur. 133
- XV. Ratio redditur, quare permittat Deus, turbari ecclesiam doctriis novis; auctoribus haud raro magni nominis viris. 137
- XVI. Ad rem declarandam adducuntur verba *Mosis Deut. XIII. Tentat vos Dominus etc.* Adjunguntur ex historia ecclesiastica exempla quaedam 142
- XVII. Eo potissimum faciunt *Photini, Apollinaris* et *Nestorii* temeraria ausa; qui doctrinarum novarum acti libidine, in teterimos errores prolapsi sunt; in eandemque ruinam alios secum pertraxerunt 149
- XVIII. Dicorum haereticorum novis commentis opponitur vetus fides et orthodoxa veritas . 156
- XIX. Quae de *Trinitate et incarnatione*, ut fert avita christianorum fides, credenda sunt, quodam quasi contenta symbolo hic loci exhibentur 158
- XX. Qua significatione vocabulum *personae Christi* tribuendum sit, pluribus edocetur 161
- XXI. Aequo copiose ac diserte traditur, quod iisdem *Nestorianis* est oppositum, quo sensu et quam

véra nuncupatione gloriissima virgo appellanda sit <i>Theotocos</i>	166
XXII. Quae inde a cap. 17. de haeresibus, vel de fide catholica disputata sunt, hoc capite brevi- us ac summatis repetuntur	172
XXIII. Ad argumentum, quod superius tractaverat, redit <i>Vincentius</i> ; ostenditque exemplo <i>Orige- nis</i> , illustrium virorum lapsus magnae in ecclē- sia tentati i esse fidelibus	176
XXIV. Eodem valet <i>Tertulliani</i> exemplum	185
XXV. In his, quae succedunt, christiani vereque catholici hominis officia praescribuntur in eligen- dis tenendisque dogmatis. Inter ea vero officia facile praecipuum hoc est: <i>Id solum tenen- dum, quidquid universaliter antiquitus ecclē- siam catholicam agnoscere cognoveris</i>	189
XXVI. Ut nequid addendo, subtrahendo, aliisve modis immutando corrumpas, audiendus est apo- stolus, monens <i>Timotheum</i> : <i>Depositum cu- stodi etc.</i>	195
XXVII. Quid sibi haec <i>Pauli</i> sententia velit, ube- rius explicatur; verbis singulis ad trutinam re- vocatis	199
XXVIII. Nequè impeditur profectus in religionis stu- dio: si nova sectari prohibemur	
XXIX. Quod illustratur tum similitudine sumpta de incremento humani corporis	204
XXX. Tum similitudi i bus aliis, quas suppeditat re- rum natura	206
XXXI. Abdicato uno dogmate, periculum est de ceteris, aut abjicienda omni religione	208

- XXXII.** Ecclesia perpetuo hanc legem sibi dictam censuit, curateque servavit: ut nequid in sacris dogmatis permutaret; idemque studium in ecclesiasticis synodis constanter enituit
- XXXIII.** Iterato explanatur dictum *Pauli: Profanas vocum novitates devita.* Quodsi in religione locus daretur novitatibus; esset actum de illa religione, quam Christus instituit 216
- XXXIV.** Haereticos novis opinacionibus iadulgere, inductis veterum exemplis palam fit 219
- XXXV.** Notatur vafrities haereticorum in divinarum scripturarum oraculis sinistre interpretandis, ut erroribus, quos propalare nituntur, speciem veri concilient, incautosque decipient 224
- XXXVI.** Quam rem illustrat tum evangelica parabola *de lupis in vestitu ovium. Matth. VII* 228
- XXXVII.** Tum sententia beati *Pauli 1. Cor. XI.* de pseudapostolis, qui *transfigurant se in angelos lucis;* nec non historia mali genii scripturae textibus abutentis. *Matth. IV.* 230
- XXXVIII.** Quarenti, unde sit collendum, verbum Dei non legitime exponi; respondetur, id colligi ex catholicae interpretationis linea, id est, ex consensu ecclesiae, aut patrum traditione 235
- XXXIX.** Quinam vero patres audiendi sint aut quando, quibusve in casibus certam fidem faciant, ad revincendos haereticos, distinctius hoc loco exponitur 239
- XL.** Cumque Deus sit, qui, teste apostolo *Ephes. IV. dedit ecclesiae suae pastores et doctores;* consequitur, ut non homines contempnatur;

- sed Deum, quicunque magisterium patrum as-
pernari ausit 244
- XLI.** Breviarium quoddam sistitur earum rerum, de
quibus actum est in *primo Commonitorio* 249
- XLII.** Quae *Commonitorium secundum*, quod in-
tercidit, materies occupaverit, breviter indica-
tur. Videtur autem praecipue versatum fuisse i
enarrandis iis, quae in *Ephesina synodo* trac-
tata sunt, et gesta adversus *Nestorium*. Habi-
ta nimurum fuit ratio antiquae fidei: recitata pa-
lam antiquiorum patrum testimoni; unde potis-
simum sententia damnationis lata est in *Nesto-*
rium 253
- XLIII.** Demum adnectitur ad repellendam novitatem
ductum ex auctoritate apostolicæ sedis argumen-
tum. In medium adducuntur pontificum Roma-
norum rescripta duo: alterum *Stephani* papæ:
alterum *Cœlestini* • 262

IV.

Cōronis,

qua per decursum opusculi ex patribus potissimum
adducta documenta summatim comprehenduntur. 269

ENGELB. KLÜPFEL,
THEOLOGUS FRIBURGENSIS
S. P. D.
SUIS QUONDAM SACRORUM DOGMATUM AU-
DITORIBUS.

Ut hac epistola vos alloquar, viri fratres, me compellit benevolentia, et grata vestri recordatio. Scire cupitis, commilitones quondam mei, quid agam, quidve moliar, posteaquam ex arena discessi, favore Superum, rude donatus. Ne vobis clam sit, symmystæ optimi, quæ jam sint veterani studia, paucis habetote. Memor *Tulliani* moniti: *Senectus sit operosa, et semper agens aliquid, et moliens tale quid, quale cujusque studium in superiore vita fuit;* non diu hæsitaveram, quoniam potissimum doctrinarum genere, hoc in otio stylum, animumque exercendum putarem, ne turpis inertiae maculam, quam in omni vita fugere studui, serus tandem mihi consciscerem. Omnem pæne ætatem in sanc-

A

tioribus litteris versatus cum fuerim, dis-
cendo, docendove: maxime foret indecorum
mihi, et homi is parum grati: si studiorum,
quæ huic animo tantum voluptatis in vita
ante acta pepererunt, desertor nunc fierem,
aut transfuga perfidus. Quodsi vero non tam
voluptatis, quam utilitatis potius, sive pri-
vatæ, sive publicæ causa artes et scientiæ
tractandæ sunt: habita temporum, in quæ in-
cidimus, et muneric, quo tot annos functi sumus,
attenta ratione, nihil accommodatius, frugife-
rum magis nihil a me suscipi posse existima-
bam, quam ut *Vincentii Lerinensis* presbyteri
Commonitorium iteratis typis publicandum cu-
rarem. De præstantia et dignitate operis, de
illius utilitate ac necessitate non est, quod
quidquam in præsentia commemorem; loco
magis idoneo ea de re verba facturus. Ne-
que quempiam, cui vera in Deum pietas,
suaque salus curæ est, fore reor, qui con-
silii suscepti rationem improbare, aut ina-
nem in id pensi collocari operam contendat;
quasi supervacaneum videretur id genus scrip-
tum, quod, secluso errandi periculo, certam
et expeditam viam monstrat, qua facilius
itur, ac pervenitur ad sacrorum dogmatum
veracem intelligentiam. Neminem ex vobis,
amici, similitudine studiorum mihi conjunc-
tissimi, latere arbitror, quam apud eos,
qui christiano nomine censentur, late inva-

luerit, de rebus Deum, ejusque cultum attinentibus quidlibet sentiendi, loquendi, scribendique effrenis atque impunis licentia, ut nihil tam sanctum sit in religione, nihil ab omni retro antiquitate ecclesiastica tam venerabile, quod hominum profanorum audacia in dubitationem adduci, carpi, derideri, aut pernegari non soleat. Tanti mali fontem si quærimus: respondent probi, atque sapientes viri, alium non esse, quam sacræ traditionis contemtum, neglectumque usum. Cum enim, qui liberaliter plus æquo dogmatizant, pro suo quisque arbitratu scripturam sacram interpretantur, insuper habita majorum fide, qua salutari quodam quasi freno hominum religionis arcem impugnantium temeritas coercedeatur, non potest non evenire, ut ferantur extra limites; totque existant fidēs, quot sunt voluntates. Oportet autem, *unam* esse fidem, ut tradit apostolus, quemadmodum *unus* est Dominus, *unus* Deus, *unum* baptisma, quodsi per arbitrarias illas divinarum litterarum expositiones, pugnamque sententiarum, ut sit, religionis quædam, aut credendi adiaphoria inducitur: manifestum est, actum esse de illa fide, quæ *sola*, et *vera* est; quemadmodum libro secundo ad Constantium imperatorem conqueritur sanc-*tus Hilarius*.

Atque utinam lætior jam esset apud nos rei christianæ facies, ut justam dolendi causam non haberemus. Sed apertius est malum, quam ut celari, aut ulla tergiversatione dissimulari possit. Latius enim et impune dominatur palam effrenata de rebus divinis sentiendi, quod lubet, atque disputandi libido. Hinc periclitatur, ac interit cum veritate unitas, ut apud Christianos bene multos verum christianismum frustra requiras.

Quid igitur? Nihilne remedii rebus ita exulceratis? nihil opis, aut bonæ spei in tam funesta strage ac pernicie tot animarum? Non me fugit, quid consilii persanandis gregis dominici vulneribus nonnulli suggerant. Sperant, cum norint, fontem mali esse scripturas sacras male intellectas, ac paene confidunt, aptius, præsentiusque contagioni pestiferae medium non esse exspectandum aliunde, nisi a divini verbi intelligentia genuina, ad quam quidem assequendam viam cuique patere prædicant, planam et expeditam, quicunque linguarum apparatu, ceterisque hermeniæ sacræ adminiculis probe instructus, ad id negotii accesserit. Verum, qui ita statuunt, velim cogitent, quam sit infirmum atque fallax veri inveniendi præsidium, quod jactitant. Missis ceteris, quæ dici in oppositum possent; ad solam provoco testem experientiam, quæ rem omnem

plane dirimit. Exploratum est, non alios magis a se invicem dissidere, ac distrahi diversiis opinionum, ubi res est de vero, germanoque cœlestium eloquiorum sensu, quam illos, qui laudatis adminiculis in primis instructi, scientissimique hermeneuticæ artis videntur. Undenam, obsecro, tanta dissidia, ac tot pugnæ in rebus momenti maxi-
mi: si philologica illa penus recta dicit ad cognitionem veri, litesque fi it? Ex iis clari-
ssimorum interpretum certaminibus sole clari-
rius perspicitur, esse hujusmodi iter minime
tutum, neque satis expeditum ad assequen-
dam notitiam certam de illis doctrinis, quæ
in arcanis scripturis latitant. Quare factum
est, ut in ecclesiasticis synodis, in quibus
agitabantur causæ fidei, nunquam provoca-
verint venerandi illi ecclesiarum antistites ad
philologicum dictum apparatus; sed ad fi-
dem majorum, ecclesiasticum consensum, et
sacræ traditionis auctoritatem. Quæ dixi-
mus, confirmare exemplis uti facile; ita su-
perfluum judicamus; memores, nos episto-
lam scribere ad amicos; non tractatum: suo
tamen loco sacra illa antiquitatis ecclesia-
sticæ monumenta non reticebimus.

Quam patres, sive in conventibus sa-
cris congregati, sive spectati seorsim, præ-
ivre viam, consensione unanimi tenent ca-
tholici omnes; a qua quicunque discesserit,

amittit cum unitate veritatem. Neque refra-
gantur huic dicto , qui sunt a communione
nostra alieni, e protestantium cœtu præstan-
tes doctrina viri. Ea nimur vis est verita-
tis, ut ex ore etiam adversariorum in pa-
troci ium catholicæ causæ erumpat. Lubet,
testimonia nonnulla huc transscribere, quibus
nostræ confessionis firmatur regula. *Guilel-
mus* quidem *Beveregius*, eruditæ Angliæ
magnum decus, procœnium, quod *canoni
ecclesiæ vindicato* præmisit, hunc in modum
orditur: “Eo remeritatis, delira hac nostra
ætate, deuentum est, ut nihil propemodum
in ipsa sit religione christiana, quod non
vel privatim in dubium, vel in controversi-
am publice vocetur; usque adeo, ut ea etiam,
quæ per multa retro secula, et ab ipsis eccle-
siæ primordiis, ubique recepta fuerunt dog-
mata, ritusque, hisce deum nostris die-
bus, in discrimen veniant; et perinde op-
pognentur: ac si nos primi essemus christia-
ni; omnesque majores nostri nudum Christi
nomen præ se tulissent, prætereaque nihil.
Nimirum novissimis hisce temporibns nova
jactantur lumina... Et scriptura sacra, etiam-
si in iis, quæ ad cujusque salutem absolute sunt
necessaria, præceptis clarissimis sit, et omni-
bus manifesta... pro ipsa sua altitudine, non
uno, eodeinque sensu ab omnibus accipitur...
Nempe singuli pravas suas opiniones, pra-

xesque e sacris scripturis, suo modo interpretatis, eliciunt. In hujusmodi itaque rebus, si non errandi, nec offendendi certies. se velimus in primis procul omni dubio cavenendum est, ne privatis nostris, aliorumque opinionibus, aut conjecturis pertinacius nimis adhæreamus; sed nobiscum potius recolamus, quid universa ecclesia, vel maxima saltem pars christianorum de istis senserint, et in ea acquiescamus sententia, in quam christiani per omnia secula consenserunt... cum hæc universalis ecclesiæ consensio certissima sit in iis, quibus habeatur capitibus, sacræ scripturæ interpretatio. Hinc clarissime constat, quali, quantoque usu sint antiqui patres, alii ecclesiæ seculorum omnium scriptores, quamque ab iis necessario consulendi sint, quibus ecclesiasticas agitantibus controversias, vel sua salus, vel pax ecclesiæ cordi est.“ Hucusque scriptor Anglicanus, isque indagator sedulus antiquitatis ecclesiasticæ, prorsus ea in re orthodoxe: ut catholicum dogma referri disertius vix possit.

Adjungimus *Beveregio Georgium Bulnum*, Anglicanæ pariter ecclesiæ presbyterum, assertorem egregium primitivæ et apostolicæ traditionis de vera Christi divinitate. Is præmissa jurisjurandi quadam quasi formula, catholicæ doctrinæ hisce verbis concinit: „Deus novit cordis mei secreta. In

dogmatis theologicis a novaturiendi prurigenie adeo alienus sum, ut quæcunque catholiconum patrum, et veterum episcoporum consensu comprobata sunt, etiamsi meum ingenium ea non assequatur; tamen omni reverentia amplexus sim. Nimirum non paucis experimentis monitus didiceram, quod mihi jam persvasissimum est, quam is, ut cunque ipsi aliquantisper ab blandiri videntur sacræ scripturæ loca, perperam intellecta, et levicularum ratiuncularum phantasmata, tandem et divinis oraculis, et sanæ rationi repugnasse deprehendatur. “ *Paulo autem ante dixerat: „Post sacras scripturas, primævam ac puriorem antiquitatem, unice colamus, et revereamur ipsi; aliisque autores simus, ut ejus consentiens judicium, ubi reperi potest, ut in omnibus certe reperitur, quæ majoris momenti sunt, religiose sequantur, persvasum habentes, hanc esse optimam, immo hanc unicam rationem esse, infelicissimas, quæ ecclesiam Christi hodiernam tot in partes sciderunt, controversias finiendi.“* Hæc, hisque similia tradit *in præf. ad harmoniam apostolicam G. Bullus,* de catholica fidei regula præclare meritus.

Utque alios ejusdem gentis, aut ecclesiæ viros, sacræ potissimum eruditionis laude conspicuos, cum *Juello, Pilsono, Hallo, Hammando,* et qui his consentiunt, silentio

prætereamus, brevitatis habita ratione; prætermittere tamen haud possumus *Ernestum Grabe*, Lutheranæ primum; post Anglicanæ communionis socium, ab antiquorum patrum scriptis, luci expositis, orbi litterario notissimum; qui *in præfatione ad spicilegium patrum trium priorum ecclesiæ seculorum*, postquam multus fuerat in percensendis intestinis bellis, quæ Christi ecclesiam lacerant, funesti mali indicat originem, neque reticet medicinam: „Traditionis, inquit, ecclesiasticæ, ab apostolico seculo ad nostra usque tempora decurrentis, contemptus est, qui christianos, ad unam fidem, unamque spem vocatos, in diversas abire fecit sectas; quarum quælibet fere sacram quidem scripturam pro norma fidei agnoscit; sed eloquia divina ad propria flectit placita... Videas traditionibus vere catholicis, atque apostolicis detrahi, et parum respici; immo aliquando rejici, quod ubique, semperque ab omnibus in ecclesia creditum, atque actum fuit... Quid igitur hic consilii? Effugiemus hanc perniciem: si superædificemus nosmet ipsos fidei, semel sanctis traditæ, et in scriptis sanctorum patrum optime explicatæ, non acceptantes ea, quæ præter vel contra eam noviter sunt addita. „Quibus quidem *Grabii* verbis testatus nihil pro sacræ traditionis dignitate, necessitateque afferri in medium potest:

At ne quis forte existimet, scriptores solius *Anglice* ita sentire¹, ac consentire nobiscum: habet *Belgium*, habet *Germania* etiam nostra ex familiis protestantium candidos ejusce veritatis assertores, idoneosque testes. Audiendus est ex *Batavis Hugo Grotius*, non inter jureconsultos solum, verum etiam inter theologos magnum nomen. Is methodum catholicorum, ubi quæstio est de criterio dogmatum, probat, et anteponit protestantium systemati periculo atque aincipiti. „Protestantes, inquit in annot. ad consult. *Cassandri*, quæ tuentur, ea non sunt omnia αὐταὶ εἰς in sacris litteris. Dicunt, admittendas consequentias. At ipsi consequentias sæpe admittunt ex privato cuiusque ingenio: unde tot, et tam gravia inter ipsos dissidia, et quotidiana divortia. Catholici vero eas admittunt consequentias, quas admisit vetus ecclesia, antiquo et universali consensu. Atque ita stat omne verbum in duobus testibus, in scriptura et traditione, quæ mutuo faciem sibi alludent. Traditio interpretatur scripturam, ut legem scriptam consuetudo.“ Quæ quidem *Polycarpi*, *Justini*, et *Irenæi* auctoritate l. c. confirmat laudatus *Grotius*.

Ex Germania demum nostra proferre lubet Theologum quondam *Rintilensem*, *Gerhardum Molanum*, abbatem *Lokkensem* in terris *Hannoveranis*, ab epistolari commercio,

cum illustri *Bossveto*, atque irenicis consiliis cognitum, locupletem testem; qui suam, aliorumque sui cœtus sententiam de traditionis usu exponens: „Protestantes, inquit, moderatores admittunt, non solum ipsam scripturam sacram nos traditioni debere; sed et in articulis fundamentalibus genuinum, et orthodoxum scripturæ sensum, ut multa alia, *Calixto*, *Hornio*, *Chemnitio* dudum memorata, ex traditione duntaxat cognoscibilia taceam. „Ita *Molanus* apud *Bossvet* Tom. I. Oeuv. posth. pag. 70. Conferte *Molani* in eandem rem *cogitationes privatas de reunione*. Vienoæ an. 1782. in 4. pag. 64. seq.

Quæ hucusque adduximus virorum illustrium, a nostris sacris alienorum suffragia, prorsus consentanea esse his, quæ catholici de necessario traditionis usu tenent, dubabit nemo. Suffragantium etenim, quæ allata sunt, testimonia disertiora sunt, quam ut eludi, aut sinistra interpretatione in sensus alienos torqueri possint. Non minus perspicuum est, eam catholicorum doctrinam novam non esse; sed traditam a majoribus. Cujus rei testem damus *Vincentium Lerinensem*, nostris curis denuo in lucem editum. Ne autem is vel primus, vel solus videatur esse, qui tantum ponderis majorum traditioni tribuerit: collegimus sententias patrum aliorum, nostro *Vincentio* vel antiquiorum,

vel synchronorum, qui verbis aequo luculentis de sacræ traditionis auctoritate locuti sunt; quibus quidem *Vincentianum* textum locis commodis illustrare, et avitam fidei regulam magis confirmare studuimus.

Cetera, quæ in hac adornanda *Lerinensis* presbyteri nova editione præstanta nobis sumpsimus, reliquum est, ut breviter indicemus. Huic quidem *epistolæ*, quam vobis, viri ornatissimi, inscriptam cernitis, priore loco positam, *Prolegomena* subtexui, quæ referunt nostri auctoris, quoad ejus fieri potuit, qualemque biographiam; una cum recensione operum; sive genuina illa sint; sive spuria, dubiave, aut promissa. Neque prætermisimus, quæ inter eruditos de illius *Semipelagianismo* agitari solent. Quod sequitur *Commonitorium*, exegimus ad exemplar editionis tertiae *Baluzianæ*, quæ omnium probatissima est. Capitum vero veterem distinctionem, qualis occurrit in *Costerianis* editionibus, quæ omnium fere manibus terruntur, retinendam putavimus: ne novus, aut varians ordo offendat. *Annotaciones* capitulis singulis mox subjungere, consultius visum fuit; secus ac *Baluzio* placuit. Neque lectoribus nostris id instituti displiciturum esse opinamur; qui magis commodum judicabunt, uno quasi obtutu textum cum annotationibus perspicere; quam in calcem libri

rejectas requirere operosius. Res *historicas*, quarum fit mentio in *Commonitorio*, aut *dogmáticas*, additis, quæ ad rem sunt, scholiis explicare clarius, tueri, ac firmare admisi sumus. Aliorum sicubi usus sum opera, ea qua par est fide, candidé professus sum; indignum reputans, et plagii quoddam genus, surripere aliena, et venditare pro suis. *Lectiones varias*, si fuerint nullius, aut momenti parvi; inanes item *conjecturas* omisimus; neque tam delassare lectorem voluimus, et multa congerere, quam paucis prodesse. Calci denique synopsim apposuimus, quæ paucioribus verbis, summatumque exhibet, quæ hoc in libello continentur.

Habetis jam, cœlestium veritatum cultores, et præcones eximii, quid sit de nostris in *Vincentium Lerinensem* studiis; quisve suscepti laboris scopus scribentì fuerit, atque finis. Eo nimirum collimant omnia, ut evangelicæ doctrinæ veritas cum unitate servetur incolumis. Tenebimus autem veritatem: manebimus in unitate: si traditionem majorum audimus, reveremur, sequimur. Hæc enim avitæ, rectæque fidei sacra quædam ancora est, cui quisquis tenacius adhæret, non potest non esse de rectitudine fidei suæ, absque omni ambiguitate persvasissimus. Nos non dimoveant ab hac arce philosophorum fallaces artes, non inania pseudophilologo.

14 EPISTOLA AD AUDITORES.

rum somnia; nec clamores aliorum, neque risus aut ludibria, quibus profani homines christiana sacra excipere non verentur. Non pudeat nos evangelii, cuius doctrina, teste *Paulo*, visa est *judæis scandalum*; *gentibus autem stultitia*; nobis vero, atque omnibus recte credentibus, ut idem apostolus tradit, *virtus Dei* est, quæ salutem tribuit, atque vitam beatæ immortalitatis. Valete.

Friburgi Brisg.

Die XVIII. Jan. quo annum ætatis 76. cœpi,
anno domi incarnationis 1808.

PROLEGOMENA

in sanctum Vincentium Lerinensem

I.

S. Vincentii ortus et patria.

S. Vincentius, de quo agere aggredimur, teste *Gennadio* 1), natus est in *Galliis*, exeunte quarto, ut verisimile est, aut ineunte quinto ecclesiæ christianæ seculo 2). Verum qua in provincia, urbe, aut loco primam lucem aspexerit, haud liquet. *Aquitatum* non fuisse, contendunt rei litterariæ scriptores, frustra refragante *Sigonio* 3). Quæ *Guil. Caveus* de illius natali solo, generequé nobili, parente, atque aliis distinctius enarrat, probationibus idoneis destituuntur 4). Ut ab alijs ejusdem nominis celebribus viris distinguatur, *Lerinensis* vulgo cognomen tulit 5).

1) *Gennadius de viris illustribus* caput LXIV. hunc in modum orditur: *Vincentius natione Gallus, apud monasterium Lerinensis insulæ etc.*

- 2) Quandoquidem certum est, *Vincentium nostrum* vita excessisse anno 450. vel paulo ante, velut elu-cebit ex his, quæ eam in rem suo loco adferemus; a vero nos procul abesse non arbitramur: dum *Vin-centii natalem ad finem IV.*, aut i itum V. seculi referimus.
- 3) Illa ætate distinctos fuisse *Aquitanos a Gallis*, affirmat *Sirmondus* in notis ad *Sidonium* pag. 152. *Paris. 1652. 4.*; probatque auctori'ate veterum, præ-sertim *Sulpitii Severi*, qui *Hist. Sacr. Lib. II.* scri-bit: *Sed id nostris, id est, Aquitanis, Gallis, et Britannis indecens visum.* His affinia repetit *Dial. I. num. 20.* Adstipulantur *Sirmondo Gall. littera* scriptores *Benedictini* in vita *Vincentii Le-rinensis*. Nequidquam adversatur huic sententiae *Sigonius*, qui, nulla temporis habita ratione, ridi-culo deputat, *Aquitanos a Gallis* distinguere. Con-feratur *Hornius* ad *Sulpicii* locum laud.
- 4) Caveus in *Hist. litt. eccles. script. de Vincentio* nostro hæc habet: *Vincentius gente Gallus, Tul-li Leucorum, primæ Belgicæ oppido, natus, splendida nobilique familia, patrem Epirochium, fratrem Lupum Tricassimum habuit.* Utinam scriptor Anglus vel unum probatæ fidei testem ad-duxisset; ex quo narratiunculæ veritas constaret!
- 5) Ut mittamus *Vincentium Victorem*, qui parado-xa religionis dogmata, Pelagianis deteriora tuitus, *Augustinum* scriptis provocavit, juveni, teste *Au-gustino*, audax magis, quam doctus. Meliora edoc-tus ab *Augustino*, ad frugem rediit, suæque re-versionis rescripta ad *Augustinum* misit; ut le-gere es: *Lib. II. Retract. cap. 56.* Proprius huc

accedunt cognomines alii, *Vincentius* nimirum *Lupi* frater; de quo mox erit sermo; et *Vincentius Gallus*, qui commentatus est in psalmos; ut tradit *Gennadius* l. c. cap. 80.; demum *Vincentius* quidam Galliae præfector, de quo agit *Sulpitius Severus* Dial. I. pag. 541. His deinceps adjungendi sunt *Vincentius Sanctionensis*, et *Vincentius Burallis*, ejusdem monasterii *Lerinensis* cœnobitæ; de quibus redibit sermo in sequentibus.

II.

Non fuit frater Lupi Trecensis.

His 1), qui nostrum *Vincentium* dicunt fuisse fratrem *Lupi*, *Trecesis* episcopi, ansam errandi præbuit, ac fraudi fuit 2) *Eucherii* narratio. Recenset *Lugdunensis* hic antistes, scriptor synchronus, *Lerinensis* insulæ monachos celebriores: atque hos inter commemorat *Lupum*, ejusque fratrem *Vincentium* 3). Alibi refert, *Veranium*, filium suum, quem monachis instituendum tradidit, usum esse præceptore *Vincentio*, in studiis sapientiæ et pietatis 4). Ex his inferunt viri doctrina clari, auctofem *Commonitorii*, sive *Vincentium* nostrum *Lupi* fratrem fuisse. Non videntur, qui ita statuunt, diligentius considerasse verba *Eucherii* 5). Scribit enim: *Ha-*

buit Lerinensis eremus Lupum; habuit ejus fratrem Vincentium. Dum affirmat habuisse, habere negat. *Lupus* namque evectus erat ad *Trecensem* episcopatum; quo ierit *Vincentius*, reticet. At *Vincentius*, *Commonitorii* auctor, nunquam deseruit institutum, quod semel amplexus est, in *Lerina* mortuus 6). His accedit, quod *Eucherius* asserat, filium suum a *Salviano*, et *Vincentio* fuisse institutum 7). Erat autem *Salvianus Massiliensis*; non *Lerinensis* monachus 8). Quid ni id ipsum liceat pronuntiare de *Vincentio*: qui, antequam ad *Lerinenses* transiret, degebat apud *Massilienses*, *Veranii* præceptor, una cum *Salviano* 9)? Non fuisse fratrem *Lipi* nostrum *Vincentium*, conjicitur ex antiquo hymno, quem edidit *Barralis*, syncellita *Lerinensis* 10). Commendantur in eo *Vincentii Lerinenses* duo; quorum alterum vocat *Commonitorii* scriptorem; alterum *Sanctonensem* appellat; qui quidem cum *Lupo* ita conjunctus est orationis contextu, ut ipsius frater existimari possit. Tandem si *Vincentius*, de quo in præsentiarum agimus, *Lipi* exstitisset frater, quocum tonsus esset in monachum; mirum, dum de sua ad monasterium migratione sermonem habet 11) *Commonitorii* auctor, ne verbulum adjecerit de fratre comite, ejusdem consilii, atque instituti sectatore. Eodem fere redit, quæ est fratum *Ballerinorum* 12)

adnotatio. Si, inquiunt, *Vincentius* noster *Lupi* frater fuit: verisimile non est, id fuisse silentio prætermissum a *Gennadio*: siquidem in ipsius laudem non exiguum cesisset, tam clari nominis episcopum habuisse fratrem (3).

- 1) *Vincentium* nostrum pro fratre *Lupi Trecensis* venditarunt *Jo. Mabillonius* pag. 17. Tom. I. *Annal.*, *Sirmondus* in notis ad *Sedulum* pag. 63. *Natalis Alex. Sec. V. Hist. eccl.*, *Saussaius* in martyrol. Gallicano ad diem 24. Maji, *Caveus l.c.*, *Olearius* in bibl. script. eccl., aliquis, qui hos secuti sunt.
- 2) *Sanctus Eucherius*, in *Galliis* natus, illustri familia, unus ex primis *Lerinensis* monasterii incolis, sub *S. Honorato* illius monasteri conditore, et abbatе primo; hinc secedens in vicinam *Leronem*, quæ etiam insula *S. Margaritæ* appellatur, vitam ibi egit anachoriticam. Fama sanctitatis et doctrinæ ejus increbrescente, vocatūs, et electus est ad cathedram ecclesiae *Lugdunensis*; inter doctissimos sui ævi episcopos habitus.
- 3) In epistola ad *Hilarium Arelatensem* de laude eremi scribit *Eucherius*: *Beata et felix insula Lerinensis*, *digna*, quæ *Honorato* auctore fundata sit. *Hæc nunc successorem ejus tenet Maximum*. *Hæc habuit venerandi nominis Lupum*; *hæc habuit germanum ejus Vincentium*, *interno gemmam splendore perspicuam*. *Hæc nunc possidet Caprasium* etc.
- 4) Idem *Eucherius* in libro *formularum spiritalis intelligentiæ* ad filii *Veranium et Saloni-*

um: „Dignum est, inquit, quacunque cura mea inge-
 „, nium tuum (alloquitur *Veranium*) reparari, qui non-
 „, dum decem annos natus, inter illas sanctorum ma-
 „, nus imbutus ab *Honorato* patre illo, inquam
 „, primo insularum, postea ecclesiarum magistro,
 „, cum te illic beati imi *Hilarii*, tum insulahi tiro-
 „, nis; sed jam summi pontificis (Arelat.) doctrinę
 „, formaret, per omnes spiritualium rerum discipli-
 „, nas: ad hoc etiam te postea consummantibus sum-
 „, mis viris, *Salviano* atque *Vincentio*, eloquen-
 „, tia pariter, et sapientia praeminentibus.“

- 5) Recole *Eucherii* verba, quae nuperime adduximus ex ep. ad *Hil.* nota 3).
- 6) De *Vincentii* nostri obitu infra referemus §. V. not. 4).
- 7) Velim relegas, quae proxime praecedente nota 4) eam in rem ex *Eucherio* allata sunt.
- 8) Quae *Benedictini*, scriptores Hist. litter. Gall. Tom. II. de *Salviani* commoratione *Lerinensi* tradunt, rem non persudent. Neque ea, quae *Gallandius* adserit Bibl. Patrum Tom. X. cap. I. de *Salviano* apud *Lerinenses* in monachum tonso, alicujus momenti sunt. Id solum colligitur ex *Salviani* epistola, quam in testem vocant, fuisse eum monastico alicui sodalitio adscriptum. Nos per sodalitum illud *Mussiliense* intelligimus; ubi certum est, eum factum esse presbyterum an. 430.
- 9) *Vincentium* prius monachum fuisse in quodam *Massiliensi* monasterio, dum an. 434. scripsit suum *commonitorium*; ac postea demum ad *Lerinenses* transiisse ex infra dicendis apparebit.
- 10) *Hymnus* ille antiquus occurrit in opere, quod i

IN S. VINCENT. LERIN.

scribitur: „Chronologia sanctorum, et aliorum vi-
rorum illustrium, ac abbatum insulae *Lerinensis*,
a domino *Vincentio Baralli*, *Salerno*, monacho
Lerinensi, in unum compilata; cum annotationi-
bus ejusdem 1613. *Lugduni*.

- 11) Conferatur præfatio *Commonitorio* præmissa a *Vincentio*.
 - 12) Addesis Fratrum *Ballerinorum* observationes in *Hist. Pelag. Cardinalis Norisii* pag. 494. edit. *Ba-*
san. 1769.
 - 13) *Apollinaris Sidonius*, *Arvernorum* episcopus
lib. VI. epist. ad *Lupum*, vocat eum, procul am-
biguo primum *omnium* toto, qua late patet,
orbe pontificem . . . in apostolica sede locatum.
Lib. VII. epist. XIII. ad *Sulpitium* appellat *Lu-*
pum Trecensem sanctum episcopum, facile prin-
cipem pontificum Gallicanorum.
-

III.

Institutio puerilis.

Plurimum refert, inquit Plinius Lib. III,
ep. 3., *a quo potissimum honestas artes, ani-*
mique culturam accipias. Optima quippe ab
optimis statim ac sedulo discenda sunt, ut
recte præcipiunt post *Quintilianum*, *Erasmus*
1) aliique rei pædagogicæ scriptores. Mul-
tum quoque interest, ut *Celtis meus* habet 2),
in quæ tempora incideris, amica, infestave

Musis. Quanquam vero nullis testium adjuti suffragiis, asseverare possimus, quo modo habuerit *Vincentii* institutio, cum teneræ ætatis ratio patrios intra parietes illum contineret; aut cum grandior factus severioribus disciplinis adjiceret animum: sine tamen dubitatione affirmare licet; si ex vitæ postea actæ instituto, et ingenii reliquiis, quæ ad nos pervenerunt, ferendum est judicium, fuisse illum ab ineunte ætate imbutum tum honestarum artium studiis, tum vitæ sanctioris præceptis optimis. Etsi enim iis temporibus vixerit, quibus Romana eloquentia una cum ceteris elegantioribus litteris magnopere collapsa fuerit 3): tam puro tamen stylo, tamque terfa latinitate est usus, ut ætate *Tullii* natus esse videretur; neque desiderari quidquam possit in scriptore ab aureo *Augusti* ævo longius remoto. Quod agnoscant, palamque testatum faciunt ejuscemodi rerum æstimatoræ æqui, justique censores 4): quamquam, qua erat *Vincentius* animi moderatio, ac modestia singulari, de se, scribendi que genere, quo usus est, demisse, humiliataque senserit 5).

1) *Erasmus in Declamatione de pueris ad virtutem, et litteras rite instituendis*, totus in eo est, ut ostendat, mox a prima ætate imbuendos esse teneros puerorum animos præcepti ibus, atque

exemplis idoneis, quæ ducunt ad cultum pietatis, et ad sapientiæ studi in viam parant.

- 2) Vide *Celtis apophthegmata*, quæ referuntur ejus vita, edita per sodalitatem litterariam Rhenanam, præfixaque est *Odis Celticis*.
- 3) Consule eam in rem *Joannis Nicolai Funcii Tractatum de lat. ling. senectute*.
- 4) Hunc in censum veniunt: *Joannes Trithemius*, qui in opere de scriptoribus eccl. *Vincentium* dicit *in divinis scripturis, et secularium litterarum non ignarum*. *Sixtus Senensis* doctissimum ac dissertissimum nominat in Bibl. sacra. *A Stephano Baluzio* in præf. operibus *Salviani* et *Vincentii* præmissa appellatur *eloquentissimus*. *Casp. Bahrdtius* Adversariorum Lib. XVIII. cap. 7. commendat *Vincentii Commonitorium*, tanquam solidum beatitudinis nostræ documentum, eleganter et nervose litteris ab eruditissimo homine signatum. Scribit *Petrus Pithoeus*, qui Commonitorium edidit: *Nihil in eo generæ majore judicio, aut acutiore stylo conscriptum memini*. Reptens *Guil. Caveus*, comprobansque verba *Gennadii*, ait, *Commonitorium* scriptum esse *nitido sutis, et aperto stylo*. Affirmat *Remig. Ceillier* Tom. XIII. des aut. eccles. ejus orationem esse *venerabilem, ac saviter leniterque recurrentem*. Demum *saint Eucherius*, qui priore loco erat nominandus; si aut dignitatis, aut ætatis habenda est rati; ut supra vidimus, *Salvianum et Vincentium* vocavit *viros sanctos, eloquentia pariter sapientiaque præminentibus*.
- 5) *Vincentius* in præfatione *Commonitorii* excusa-

turus scribendi genus, inquit: „*Neque id, quod dicturus sum, ornato et exacto; sed facili communique sermone expediam; ut pleraque significata potius, quam explicata videantur.* Scribant ii laute, et accurate, qui ad hoc munus vel ingenii fiducia, vel officii ratione ducuntur.

IV.

Vitæ genus.

Omni disciplina liberali, qua juvenilis aetas solet informari, rite institutus, quodnam vitæ genus amplexus sit, haud satis liquet. Ipsemet quidem hac de re injiciens sermonem inquit: *Qui cum aliquamdiu variis, ac tristibus secularis militiæ turbinibus volve-*remur etc. 1). Ex quibus id solum colligas, absolutis litterarum studiis, ordini ecclesiastico nomen non dedisse. Multorum est opinio, *militem* faciū, meruisse in castris, et arma tractasse 2) Qui ita sentiunt, restrin gere videntur militiæ vocabulum plus æquo. Perspicuum namque est, illud transferri ad quodvis fere aliud vivendi institutum. Unde dixerunt veteres 3): *Militia palatina, proconsularis, secularis, monastica* 4), *sacerda* etc, ut appareat, non de sola armata intelligi oportere, ubi militiæ nomen occurrit.

Quamquam vero iis refragari nolim, qui volunt, fuisse *Vincentium* e numero *Curiarium*, id est eorum, qui curant civilia munera; et quibus a *cura*, sive provida gubernatione nomen est: (ordo quidam medius inter *proceres*, vulgaresque homines) 5) nihil tamen certi iu re *ancipi* statui potest; ut frustra labores in signando hujusmodi officio, quo primum functus fuerit. Idem fere dicendum de tristibus casibus, quibus se in superiore vita involutum fuisse scribit; siquidem de his quoque nihil sit invenire apud idoneos, probatosque scriptores.

1) Vide præfationem *Commonitorio* præfixam.

2) *Spanheim*. Tom. I. opp. pag. 1033. ait: *Vincentius miles. Olearius de script. eccles. Militiam a teneris secutus. Josias Arndius: E milite factus est monachus. Weismann pag. 505. Tom. I Hist. eccl. E milite monachus. Editio-nes Costerii; ut et germanica *Fabri* ad controver- sum *Vincentii* locum margini adscripta habent verba hæc: *Vincentius primum miles.**

3) *Sirmondus* verba *Sedulii de capessendis palati- nae militiae muneribus exponens*, inquit, tria omni- no militiæ genera distinguuntur; nimurum *armata*, seu *militaris*; deinde *palatina* eorum, qui intra pa- latium merebant: quo spectant *notarii*, *scriniarii*, *larginionales*, aliique: demum reliquorum omnium, qui judicibus, potestatibusque apparebant; unde dia- ta est *militia proconsularis*, aut *præfectiana*. Con-

sule *Sedulii opera*, a *Sirmondo edita Paris*, i
ad epist. VI.

- 4) *Sedulius Lib. VI. epist. I. Lupum*, antea monachum *Lerinensem*, post *Trecensem* episcopum his verbis compellat: *Post desudatas militiae Lerinensis excubias... Te sanctorum spiritualia castra venerantur.* Hinc elucet, statum monasticum militiae nomine venire, et ecclesiam *Trecensem*, cui præerat *Lupus*, ut in eadem metaphora perseveraret, sanctorum dici *spiritualia castra*.
- 5) In ea significatione *Curiarium* vocabulum acceperunt *Glossaria*, *Isidorus*, *Justinianus*, *Salvianus* frequenter, aliique apud *Ducangium*. Plura de *Curiaribus* habentur quoque in Codice *Theodosiano Lib. XII. Tit. I.* atque in adnotationibus *Geoffredi*.

V.

Institutum monasticum.

Secularium negotiorum fastiditis curis, vitæ genus, quod aliquamdiu tenuerat, abdicare constituit. Saluti animæ ut consuleret melius, Deoque arctius adhæreret, monasticam vitam elegit. Sed audiamus ipsummet *Vincentium* hæc, more suo, elegantius edisserentem: *Cum aliquamdiu, inquit in præfat. Commonit. variis, ac tristibus secularis mili-*

tiæ turbinibus volveremur, tandem nos in portum religionis, cunctis semper fidissimum Christo aspirante, condidimus. Paulo autem ante scripserat; *secretum monasterii incolimus habitaculum.* Ubi locorum sacrum illud contubernium, quo novus tiro se recepit, situm fuerit, luculentius non declarat, contentus l. c. dicere: *Locus est remotioris villulæ, et in ea secretum monasterii habitaculum; ubi absque magna disiractione fieri possit illud, quod canitur in psalmo (XLV. 11.) Vacate et videte: quoniam ego sum Deus.* Plerique, cum monasterium audiunt; ubi de *Vincentio nostro sermo est, non de alio, quam de ascetrio 1) Lerinensi cogitant.* At aliter visum est *Norisio 2), qui contendit rationibus non contemnendis, Vincentium vitæ monasticæ jecisse fundamenta, ac in monachum tonsum esse in alio quodam monachorum convic- tu; eoque haud procul Massilia, atque in isto secessu confecisse suum Commonitorium; antequam 3) ad *Lerinenses transiret; apud quos perseveravit ad obitum usque 4): præ-**

fectura monastica 5) nunquam functus: velut nonnulli perperam opinantur. Presbyterum fuisse, nemo negat 6).

1) *Lerinense*, unum est ex antiquissimis in Gallia monasteriis, situm in notissima insula, quæ dicitur *Lerinus, Lirinus, Lerinum, Lerina*, vulgo in-

sula sancti *Honorati*. Erat inculta, horrida et venenatorum animalium metu inhospita, ut fere loquitur beatus *Hilarius* in oratione de *S. Honorato*. Post ejus autem circa ann. 405. ad illam accessum, exstructis cellulis effectum est monasterium, atque schola ingenuorum, et nobilium adolescentum, seminariumque episcoporum; unde *Honoratus Massiliensis*, *Maximus Reiensis*, *Hilarius Pictaviensis*, *Faustus Reiensis*, aliarumque ecclesiarum antistites prodierunt. Ut *Papponius* refert in suo per *Provinciam* itinerario (Theodisce comparuit Lipsiae 1783. 8.) *Lerinenses* monachi inde ab an. 997. uniti fuere *Cluniacensibus*; an. 1505, *Benedictinis* e monte *Cassino*. Tempore recentiore rursum juncti sunt *Cluniacensibus*; donec tandem cum ceteris in Gallia monachis eandem sortem experientur.

2) *Norisius* Lib. II. Hist. Pel. cap. 11. duo potissimum adducit argumenta, quibus evincat, *Vincenzium* fuisse in monasterio alio, ibique scripsisse celebre *Commonitorium*, priusquam in *Lerinense* commigraret. Primum argumentum suppeditant verba *Vincentii*, quibus mentionem facit *remotioris villulæ*; in qua monasterii incoleret habitaculum, quod an. 434. scribenti *Commonitorium* pro sede fasset. Hæc vero, ut arguit *Norisius*, in *Lerinam* non conveniunt; in qua nec ante, nee post *S. Honorati* adventum erat villa, aut *villula* aliqua. Neque qui recentissime *Lerinam* descripsit, *Papponius* l. c. *villulæ* alicujus meminit. Argumentum alterum, quo *Norisius* utitur, nixum est auctoritate *Eucherii*, qui in præf. ad Lib. 22. novi et vet. test. *Salonium*, filium suum his verbis

alloquitur: *Cum te illic, apud Lerinam, beatissimi Hilarii, tunc insulanis tyronis; sed jam nunc summi pontificis, doctrina firmaret, per omnes spiritualium rerum disciplinas; ad hoc etiam te postea consummantibus sanctis viris, Salviano, atque Vincentio, eloquentia pariter, sapientiaque praeminentibus.* Ex his infert Norisius, *Salvianum et Vincentium, Salonii præceptores, in eodem vixisse monasterio, postquam ex Lerinensi insula in continentem rediit Salonius.* At *Salvianus Massiliensis erat monachus; id ipsum igitur dicendum pariter de Vincentio, donec post annum 434. Lerinensibus aggregaretur.* Quibus addere: Si apud *Lerinenses tonsus in monachum fuit Vincentius: mirum videatur, illum in Commonitorio, quod illic elaborasset, celeberrimæ ejus insulae, quæ optatam vitæ monasticæ sedem, tranquillumque salutis portum sibi præbuisset, ne verbulo meini isse, atque sine ulla laudis significatione præteriisse viros doctrina, sanctitate, dignitateque conspicuos, quos ad is usque temporis Lerina tulerat.*

3) Quidquid vero sit de loco, ubi *Vincentius* in castris monasticis posuerit tirocinia: sine dubitatione tamen affirmandum est, militasse eum, et excubias sacras egisse apud *Lerinenses*. Fidem hujus rei certam facit *Gennadius Massiliensis*, *Lerinæ viinus*, nec multum remotus ab illa aetate, rerumque quæ ecclesiasticos scriptores attineant, indagator sedulus cap. 64. de script. eccl.

4) Apud *Lerinenses* diem suum obiisse *Vincentium*, traditur in sacris ecclesiæ fastis ad diem 24. Maji: confirmatque epistola *Francisci Macedo* ad *Norisium*, qua refert, se *Lerinensis* monasterii,

in *Galliis antiquissimi*, fama permotum, illuc divertisse, ac *Vincentii* monachi reliquias, honorifico loco repositas, ut par est, veneratum. Confer No-
ris. l. c. Tempus mortis indicans *Gennadius* scribit: *Vincentius moritur, Theodosio et Valentiniano regnantibus.* Cumque anno 456. die 28. Julii ex-
cesserit *Theodosius*; ut perhibet *Theodorus* lector Lib. II. num. 64., consequens est, anno 450., aut paulo ante ad superos migrasse *Vincentium*.

5) *Lerinæ* abbatibus *Vincentium* annumerant *Spanhemius* pag. 1033. Tom. I. Opp. *Cosmas Schmal-*
fus pag. 138. Tom. III. Hist. rel. et eccl. Christ. At falluntur, qui ita censem. Dilucidum namque
est, abbatis munus in *Lerinæ* eum non obivisse. Primus enim abbas erat *Honoratus*; successit *Maximus*. *Maximus* anno 433. factus episcopus *Reiensis*, successorem habuit eodem anno *Faustum*, qui *Lerinensibus* præfuit usque ad annum 452. Hoc intra tempus vitam finiit *Vincentius*. *Vincentio* vita functo *Faustus* inauguratus est episcopus *Reiorum*. Vide de his *chronologiam Barralis abba-*
tum Lerinensium.

6) *Presbyterum* fuisse, testatum facit *Gennadius* l. c. Quando, aut ubi fuerit ad eum ordinis gradum evec-
tus: item, an jam presbyter fuerit; cum cooptatus
est ad collegium *Lerinensium* monachorum: quis
definiet, ubi testes, et tabulæ desunt?

VI.

Commonitorium Vincentii.

Ab auctore convertimur ad opus, quod elucubravit, ediditque alieno *Peregrini* nomine 1), quemadmodum fatetur ipse *Vincen-tius*; quodve confirmant antiqui codices: qui hanc fere reddunt opusculi epigraphen: *Pe-regrini Commonitorium adversus hæreses: vel adversus profanas vocum novitates* 2). Totus hoc in libello est auctor, ut statuat regulam fidei 3) atque confirmet. Tradit, quod a ma-joribus, doctrina, et sanctitate præstantibus viris se didicisse affirmat, in dijudicandis scil. fidei dogmatis, præter scripturas sacras necessariam esse traditionem: vitandam doc-trinæ novitatem; amplectendam vero, te-nendamque antiquitatem. Quando hoc scrip-tum confecerit, ipse declarat haud obscure. Asserit, esse elaboratum circa annum 434. nimirum tertio fere anno post *Ephesinam synodum* 4). Aequo est manifestum, quem suscepti laboris sibi fructum adpromiserit. Asseverat semel, iterumque, ad id negotii se applicuisse manum, ut haberet in promp-tu monitorem paratum; quo revocetur in me-moriā cœlestis, et orthodoxæ doctrinæ ve-ritas 5). Quam ob rem lucubrationi suæ *Commonitorii* nomen imposuit. Atque hæc

PROLEGOMENA

pio auctori credere malumus , eidemque consentire ; quam sentire vel cum *Vossio* 6), qui in odium *Augustini*, vel *Norisio* 7), quod quidem eodem redit, in favorem *Fausti*, sui abbatis 8), quidquid id est scripti nis, adornatum esse volunt. Etsi vero facile largiamur, hic ibi notatam esse *Augustini* doctrinam de prædestinatione, neque diffiteamur, occurrere loca alia, in quibus disputatur in favorem *Semipelagianæ* scholæ: impetrare tamen a nobis haud possumus , ut credamus, finem scribentis hunc fuisse primarium. Quo in pretio apud omnes fere eruditos *Vincentianum* volumen habitum fuerit, abunde contestantur eximia copiosaque eloqua, quibus illud viri per celebres ab omni retro ætate exornarunt 9); donec 10), *Dallaeo* potissimum duce, evilescente apud neotericos nomen Patrum , atque auctoritas cœpit. Utinam rei christianæ tam frugiferum, ac salutare opus integrum ad nos pervenisset 11).

1) In præsatione *Commonitorii* mox ab i itio nominat se *minimum omnium servorum Dei Peregrinum*. Fortassis omnis ignoraret posteritas, quis sub *Peregrini* larva delitesceret: nisi *Gennadius* verum auctoris nomen prodidisset.

2) Sunt *Vincentiani* operis codices alii, qui præferrunt pro *Commonitorii* nomine vocabulum: *Trad-*

tatus. A Gennadio autem inscribitur: Disputatio contra haereticos.

- 3) Hanc fidei orthodoxae regulam *non invenisse* se dicit; *sed accepisse a sanctis patribus: quamque relatoris fide potius, quam auctoris praesumptione*, ut loquitur, *per totum volumen, cunctis fe- re paginis diligenter inculcat; ut ad dictorum confir- mationem adducere testimonia superfluum videa- tur esse.*
- 4) *Ante triennium ferme, inquit Commonit. cap. 2., concilium in Asia apud Ephesum a ducentis fere numero sacerdotibus adversus Nestorium ce- lebratum est. Cum vero haec synodus acta sit an- no 431.: Commonitorii hujus elucubratio ad an- num 434. haud temere refertur.*
- 5) Id negotii suscepisse se scribit *Vincentius* in *praef.*, *ut habeat in promptu, quo imbecillitatem memoriae sublevet. En illius verba! Me vero sublevandas recordationis, vel potius oblivionis meae gratia, commonitorium mihi met parasse sufficerit. Qui- bus affinia repetit in fine libelli: Haec, inquit, ali- quanto nunc brevius recapitulandi lege constricta sunt, ut memoria mea, cui adminiculandae ista confecimus, et commonendi assiduitate repare- tur, et prolixitatis fastidio non obruatur.*
- 6) *Vossius Lib. I. Hist. Pelag. cap. 9. scribit: Commoni- torium adversus Augustinum ipsum, vel eos saltem, qui Augustini sententiam sequentur, scripsisse Vincentium existimamus.*
- 7) *Norisius Lib. II. Hist. Pelag. cap. 11. ita habet: In Fausti gratiam Vincentius Lerinensis librum*

Commonitorii evulgavit. Paulo post addit, *Huius Vincentium cum Hilario Arelatensi, Fausto abate, aliisque syncellitis Lerinensibus, contra sancti Augustini de predestinatione doctrinam conspirasse.*

8) Idem *Norisius Vincentium* arguit l. c. pag. 33². *collusionis cum Fausto abbe suo, aliisque syncellitis Lerinensibus.* Videntur ista (quod pace tanti vi*m* dictum velim) pugnare cum his. quae sequente pag. 334. subdit, *Vincentium scil. auctorem Commonitorii, cum hoc opus litteris mandaret, nondum fuisse Lerinensem monachum.* Quodsi tum, cum scribebat *Commonitorium*, monachus *Lerinensis* non fuit; *Faustum abbatem* tunc sibi praepositum non habuit; neque syncellitas tunc habuit *Lerinenses* monachos, quibuscum collusisset. *Faustum Lerinensem abbatem factum esse* an. 433. multis ostendit l. c. *Norisius*; *Commonitorium scriptum esse an. 434.* sciunt omnes. *Norisius* praeterea, ut supra vidimus, ipse contendit, esse scriptum non in *Lerina*.

9) *Gennadius cap. 64. de viris illustribus* vocat *Peregrini*, id est, *Vincentii Commonitorium validissimam adversus haereses disputationem.* Commendatur *Trithemio* de script. eccl. tanquam *opus insigne*, a veteribus doctoribus per celebre laudatum. *Sacrorum annalium* scriptor *Baronius*, et *Possevinus* in apparatu nuncupant libellum *plane aureum*; quo encomio passim ornatur in vulgatis editionibus. *Bellarminus* de script. eccl. appellat *volumen parvum mole, virtute maximum*: *Sausacius* in martyrol. gall. *nobilissimum*: *Joseph. An-*

telmius Forojul. canonicus pag. 420, diss. 9. *Opus nunquam satis pro dignitate commendandum:* *Joannes Costerus* in editione, quam publicavit, *longe optimum, non utile tantum; sed et necessarium.* Mitto post *Costerum* editores alios, *Falsum, Pithoeum, Baluzium, Bartholomaeum Petrum, Salinasium,* qui effusis, magnificisque laudibus *Vincentianum* opusculum exornarunt. Quo nostra adhuc aetate apud catholicos in preti sit *Vincentianus* libellus, quave polleat auctoritate, testem audire juvat scriptorem Italum, V. C. *Andre*, editorem nuperum praeclari operis de hist. litter. an. 1799. 4. Is Tomo VI. pag. 140. de *Vincentio* nostro disserens, hunc fere in modum loquitur: Illud vere non minus, ac asseveranter pronuntio, *Vincentii Commonitorium* suppeditare nobis certissimas regulas, atque principia solidissima, quibus error a veritate, haeresis ab orthodoxia rite dignoscatur. Tradit insuper, ac monstrat expeditum modum, quo dogmatum catholicorum vera traditio, ab inanibus spuriisque aliorum commentis absque ambiguitate distingui valeat.

Neque desunt ex Protestantibus *Commonitorii* laudatores. *Centuriatores Magdeb.* Cent. V. cap. 20. commendant illud, tanquam scriptum eruditum, et acutum, et praescens valde remedium, et antidotum contra haereticorum venena. *Casp. Bahrdtius Advers.* Lib. XVIII. cap. 7. vocat illud *Enchiridion homini christiano nunquam dependum manibus, ceu solidum nostrae beatitudinis documentum.* Facile quidem foret, his adjungere elogia Penegyristarum aliorum e coetu Protestantium. Huc certe veniunt *Causabonus*, *Henr.*

Hottingerus, H. Grotius, Osiander, Calixtus.
 At eorum testimonia adducendi onere me levat *Roeslerus*, qui Tom. X. de scriptis patrum pag. 25. ubi agit de *Vincentio*, candide fatetur, magno in pretio habitum fuisse ejus *Commonitorium* apud veteres fere omnes *Lutheranos*. Eodem animi candore idem *Tubingensis* theologus profitetur in praef. ad Tom. X., ea, quae nunc tenent Protestantum ecclesiae, dogmata non convenire cum antiquitate ecclesiastica. Quare mirum non est, praestantissimum opusculum stomacho fastidente a plerisque jam rejici.

- 10) Opus *de usu Patrum*, editum Gallice, ac vulgaratum etiam *Latine*, et *Anglice*, confecit *Jo. Dallaeus*, eo potissimum consilio, quemadmodum loquitur in epistola nuncupatoria ad *Annam Moniaeam*, scripta *Parisiis* 1631., ut argumentui illud *de antiquitate, vetustissimorumque Christianismi doctorum consensu*, quo catholici ad decidendas controversias uti solent, labefactaret. Unde mirum non est, quod in *Vincentium* quoque nostrum locis multis censoriam virgulam strinxerit, ut e dignitatis gradu, quem inter scriptores ecclesiasticos obtinebat, bene meritum dejiceret, ac fieri si posset, omni eum auctoritate exuoret. *Dallaei* iniquam de patrum doctrina censuram improbarunt non catholici solum; verum etiam nonnulli, qui a communione catholica se juncti sunt; quos alibi laudavimus.

- 11) Erant, ut edocemur a *Vincentio Commonitoria duo*; aut, si mavis, unius ejusdemque operis partes duae, vel duo libri Liber primus integer ad nos pervenit. Librum alterum furtim surreptum esse,

refert *Gennadius*. Qua de re sermo redibit; ub
ad eum locum pervenerimus.

VII.

Commonitorii orthodoxy.

Utut vero splendidis laudum encomiis ab hominibus eruditione claris consensione magna, celebratum sit elegans non minus ac utile opus, suo in genere prorsus singulare: non deerant tamen viri doctrina percebres, qui maculas in corpore nitido deprehenderent. Primus omnium, acutus ille scriptorum arbiter, *Gerhardus Joannes Vossius*, fuliginem *semipelagiani* erroris in *Vincenziano* opere detexit. Plane in sententiam *Vossii* concessit magnus *Norisius*, eandemque novis argumentis stabilivit. Mirum, ut idem *Norisius* observat, ex tam multis, doctisque *Vincentii* editoribus, qui ejus libellum notis, commentariis, ac analysi illustrarunt, neminem exstitisse, qui *Semipelagianismi* vestigia in illo perspiceret. Nos, quae eam in sententiam *Norisium* adduxerunt, argumenta praecipua paucis referimus; cetera reservaturi adnotationibus, quas *Vincenziano* textui declarando idoneas judicabimus. Primum

itaque pro certo ponit *Norisius*, quod *Cassiani* 2) *Faustique* 3) testimonis confirmat, fuisse *Semipelagianorum* dogma, idque capitale, Dei gratiam omnibus esse communem, eamque a Deo conferri his, qui naturae viribus conantur, volunt, petunt, quaerunt, pulsant. Talia praedicasse *Vincentium*, sole clarius esse asserit perlegenti ea, quae habet in *Commonitorio* 4). *Communem* praeterea cum *Massiliensibus* agnoscit gratiam; dum impugnat ac deridet *specialem*; acriusque in eos invehitur, *haereticosque* nominat, qui docent, a Deo gratiam dari hominibus; quin petant, quaerant, pulsent Caecus sit, ait *Norisius*, qui *Semipelagiani* dogmatis labem in hujusmodi verbis non deprehendat. Ecur tam perspicuum argumentum. *Vossius* dissimulaverit; quis conjectura assequetur 5)? Argumentum alterum, quo praeivit *Vossius*, *Norisiusque* illustravit, idem *Vincentius* in fine *Commonitorii* suppeditat; ac se habet hunc in modum: Erat familiare, ac solemne *Semipelagianis* accusare doctrinam *Augustini* novitatis, ipsumque ac ejus sectatores traducere tanquam *novatores* 6). Id ipsum objecisse *Vincentium* his, qui doctrinae *Augustinianae* adhaeserant, in aprico est 7). Verba enim *Coelestini* papae in epistola, quam a *Prospero* et *Hilario* monitus scripsit ad *Gallicarum* episcopos adversus *Semipelagianos*,

doctrinae novae praecones et patronos,
guta interpretatione detorquet *Vincentius* in
fidissimos *Augustini* discipulos *Prosperum* et
Hilarium, quasi hi, qui erant apud sedem
apostolicam *Massiliensis* scholae accusatores,
nova dogmata in *Galliis* disseminarent; prop-
tereaque, jussu pontificis, vitandi essent,
ceu *novatores*, *calumniatores*, *haeretici*. Un-
de denuo intelligitur, quemadmodum arguit
Norisius, cui factioni *Vincentius* addictus
fuerit. His quidem argumentis, ex ipso *com-*
monitorio erutis, convicti viri doctrina p^raec-
stantes, primique subselii scriptores, longe
plurimi *Norisio* consenserunt: velut *Natalis*
Alexander 8) suo satis nomine notus: *Clau-*
dius Frasen, doctor Sorbonicus 9): *Ludovi-*
cus Thomassinus, Oratorii gallicani presbyter
10): *Benedictini S. Mauri* 11) a Ss. Patrum,
et antiquitatis ecclesiasticae studio in primis
commendati: *Joseph. Antelmius*, Canonicus
Foro Juliensis, in rebus *Lerinensium* versatis-
simus: 12) *Christianus Lupus*, professor re-
gius *Lovaniensis* 13): *Basilius Poncius*, Sal-
manticensis doctor 14): *Joannes Garnerius*,
de rebus Pelagianis scriptor accuratus 15);
Fratres *Ballerini*, multipli eruditione or-
natissimi 16) *Jo. Laurentius Berti* de studiis
sacris bene meritus 17). Ut mittam alios,
his concinentes. Praetermittendus tamen non
est post hominum memoriam pontifex doc-

tissimus, ab eadem sententia non omnino alienus 18). Qua veri specie pronuntiaverit *Wachius* 19), *Norisium* non solidis rationibus; sed inanibus conjecturis, rem egisse, ut bonum monachum quanquam reluctantem et invitum in castra *Semipelagianorum* pertaheret; penes aequum lectorem judicium esto!

- 1) *Vossius* luculentum opus de *Historia Pelagiana* edidit Lugd. Bat. 1618. laudabili certe consilio, ut ferventibus id aetatis apud *Batavos* controversiis *Calvinianos* inter et *Remonstrantes* medelam ferret. Libro itaque I. postquam egerat de *Cassiano Semipelagiani* gregis duce, et de *Fausto*, sermonem convertit cap. 9. ad *Vincentium Lerinensem*, quaeritque: *Utrum Semipelagianis quoque accesseri debent.* Cui quidem quaestioni facturus sat, multa congerit, ut commonstret, sensisse *Vincentium* cum *Semipelagianis*. Argumentum praeципuum, quo usus est *Vossius*, duxit ex *Vincen- tii* sinistra interpretatione epistolae pontificiae, de qua nuperrime. Alia, quae huc attinent, in nota proxima. .
- 2) *Communem esse omnino omnibus gratiam; dari vero illam suismet viribus quaerentibus, pulsantibus, potentibus, docuit Cassianus* Lib. XII. de inst. coenob. cap. 14.
- 3) Consentiens *Cassiano Faustus* eadem tradidit Lib II. cap. 10. Hunc. vero *Massiliensium* errorem retulit *Augustinus*, refutavitque tum alibi,

tum potissimum in libro *de dono perseverantiae* . . Scribit cap. 23. *Falluntur, qui putant, esse a nobis, non dari nobis, ut petamus, quaeramus, pulsemus.* . Dicunt, quod gratiam praecedit meritum nostrum; ut sequatur illa. Porro iidem negabant, gratiam Dei esse donum speciale; volentes esse commune omnibus. Hinc *Faustus* Lib. I. cap. 15. ait: *non specialem esse circa credentes Dei munificentiam.*

4) *Vincentius* in *Commonitorio* cap. 37. adversus quos, aut quibuscum senserit, aperte indicat. „Mi- „,ro, inquit, modo incautos homines haeretici deci- „,pere consueverunt. Audent enim polliceri, et do- „,cere, quod in ecclesia sua, id est, in communionis „,suae conventiculo magna et specialis, et quaedam „,personalis sit Dei gratia; adeo, ut sine ullo labore, sine „,ullo studio, sine ulla industria, etiamsi nec petant, nec querant, nec pulsent, quicunque illi ad nume- „,rum suum pertinent, tamen ita divinitus dispensen- „,tur, ut angelicis evecti manibus, id est, angelica „,protectione servati, nunquam possint offendere ad „,lapidem pedem suum.“ Quibus *Vincentii* verbis recitatis subdit *Norisius* *An dissertationis suam sententiam potuerit exprimere Vincentius, quam reapse expresserit; certe non video.*

5) Si conjecturis hic locus datur: suspicari licet, for-
tasse *Vossium* dilucidam hanc probationem studiose
reticuisse; ne *Remonstrantes*, contribules suos, pla-
citis addictos *Semipelagianis* offenderet: si audirent
referri capitale *Semipelangianorum* dogma, quod a
vetere ecclesia, et concilio *Arausicano II.* reproba-
tum est.

6) Novitatis doctrinae imulatos a *Semipelagianis* fuisse *Augustinum*, ejusque sectatores, produnt *Prosper* et *Hilarius*. *Prosper* quidem in epist. ad *Aug.* de *Massiliensibus* scribit: *Obstinationem suum vetustate defendunt . . . et Pauli verba a nullo unquam ecclesiasticorum ita intellecta, ut nunc sentiuntur, affirmunt.* Cumque ipsis ob-
jiceretur, a *Coelestino* Papa in epist. ad episcopos Galliae commendari *Augustinum*, illiusque scripta: *Prospero teste in libro contra Collatorem, dixerunt, istam in sanctum Augustinum laudationem anteriorum scriptorum meritis collatam esse; non posteriorum adversus Semipelagianos, in quibus nova dogmata disseminari causabantur.* *Hilarius* vero in sua ad *Aug.* epist. refert, *Massilienses conqueri, quod Augustinus antiquis incognitam, ac inutilem doctrinam praedicet: siquidem sine hac Augustini definitione tot annis, a tot tractatoribus, tot praecedentibus libris contra Pelagianos catholicas fides defensa fuerit.*

7) Ut rectius intelligatur argumentum secundo loco propositum; oportet audire ipsummet *Vincentium summi pontificis* verba explicantem. Ita vero habet: *Papa Coelestinus in epistola, quam Gallorum sacerdotibus misit, arguens eorum conniventiam, quod antiquam fidem silentio destituentes, profanas novitates exurgere putarentur merito, inquit, causa nos respicit: si silentio foveamus errorem.* Ergo corripiamus hujusmodi: non sit iis liberum, habere pro voluntate sermonem. Scripta haec esse a pontifice adversus *Massilienses*, qui a *Prospero* et *Hilario* novitiorum

dogmatum erant apud sedem apostolicam accusati; non autem notari pontifici illa epistola *Augustinum*, *Prosperum*, *Hilarium*, aliosve his consentes, nemo jure ambigat. *Augustinus* etenim in eadem epistola laudatur, una cum *Prospere* et *Hilario*, quos papa compellat *filiorum* nomine, *quorum sollicitudo circa Deum laudanda est*. Ex itinerè *Romano* in patriam reversos *Prosperum* et *Hilarium*, litteras, quas hortatu, rogatuve suo obtinuerant a pontifice, in *Galliis* laudasse, ad illas provocasse, ad obstruendā *Massiliensium* orā, absque dubitatione credendum est. Eo telo se, suosque peti cum intelligeret *Vincentius*, ut imminens discri-
men averteret, omnem accusationis molem, callida interpretatione, i ipsos revolvit accusatores. Unde quaerit: Quinam sunt illi novitatis propolae; quibus imperatum est silentium? Quinam vetustatis vindices, quos oportet sequi? Subdit *Vincentius*, ipsum-pontificem quaestioni huic satisfecisse hisce verbis: *Desinat, si ita res est, ut apud me quidam (Prosper et Hilarius) criminantur; quasi apud Gallos essent, qui novis dogmatis studerent, eademque in vulgus spargerent: Desinat, si ita est, ut potius accusatores illi novae doctrinae praedicatores sint, et vetustatis adversarii, ac contemtores: Desinat; si ita res est, incessere novitas vetustatem.* En quam versute verba pontificis in rem suā explicit *Vincentius*, ut se, suosque veteris doctrinae probaret esse sectatores, novitatis vero studiosos esse *Prosperum* et *Hilarium*.

8) *Nat. Alexander H. E. Seq. V. cap. 3. scribit;*
*Vincentium Semipelagianum asserere, praecon-
 septa, et populari opinione expissa, vis cogit*

veritatis. Cogunt rationes, a doctissimo et accuratissimo historiae Pelagianae commentatore Henrico Norisio adductae; quas, lecto semel et iterum Vincentii Commonitorio, vidi esse invictas.

- 9) *Frassen* pag. 421. Tom. I. *Academiae Scoti Tract. II. disput. III.*
- 10) *Lud. Thomass.* pag. 460. *Dissert. XIII. in synodos.*
- 11) *Benedictini Paris.* in Appendix Operum S. *Augustini* pag. 88. disserentes de epistola *Coelestini papae* ajunt: *Sic a vero sensu pontificis verba detorquet Vincentius, ut ipse haud injuria in erroris Semipelagiani suspicionem veniat.*
- 12) *Antelm.* pag. 420. *Dissert. IX. de scriptis sacerdotum Leonis et Presperi.* Idem publicavit *Diatriben de secretis Lerinensium.*
- 13) *Chr. Lupus* Tom. IV. in *synodos*; in notis ad *Canonem XXII. Dictat. Gregorii VII.* pag. 575.
- 14) *Bas. Poncius* Parte I. *Relectionum de auxiliis divinae gratiae cap. IV.* pag. 40.
- 15) *Jo. Garnerius*, Jesuita, pag. 150. *Dissert. I. de auctoribus Pelagianae haeresis cap. 9.*
- 16) *F. F. Ballerini*, *Petrus ac Hieronymus, presbyteri Veronenses* in *observationibus ad Hist. Pelag.* cap. IV. pag. 493.
- 17) *Berti* tum in *Opere de disc. theol.*; tum in *adnot. ad Hist. Pelag. Norisii Lib. II. cap. 11.*

18) *Benedictus XIV.* in epist. ad *Joannem V.* *Portugalliae regem*, quae praefixa est novae editioni *Martyrologii*. Romae an. 1748. §. XXXI. de *Hilario Arelatensi*, et *Vincentio Lerinensi* ita habet: *Uterque in Martyrologio Romano commoratur; quamvis eorum doctrina Semipelagianismi labe fuerit aspersa.*

19) Conferatur *Wulchius* pag. 148. T. V. Haereseol. Paulo autem ante, nim. pag. 147. scripserat, se sati mirari haud posse, doctissimos criticos hic, ubi agitur de *Vincentio* erroris *Semipelagiuni* condemnando, studio partium abripi, et vitiosa, quam *circularem* dicunt, argumentatione niti. Nos vero miramur, *Walchium*, cum hujusmodi censuram ferret, vel non legisse serio, ut par est, *Vincentii Commonitorium*, vel aequa lance rationes *Norisianas* non ponderasse. Idem fere statuendum est de judicio *Schroeckii*, quod tulit Tom. XVIII. H. E. pag. 38. simpliciter pronuntians, non esse verisimile, *Commonitorium* patrocinari *Semipelagianismo*; neque loca, quae inde adduci solent, rem confondere.

VIII.

Semipelagianus error nil auctoritatis operi detrahit.

Qui *Commonitorium Vincentii* labe *Semipelagianae fuliginis* aspersum audiunt, dignitati operis, sanctissimaeque religioni ti-

ment; quasi utilissimum opus omni excideret auctoritate, cui tanquam firmissimo fulcro ecclesiae aedificium inniteretur 1). Ut, quam sit inanis iste metus, paucis edoceamus, locus hic exposcit. Ac primum quidem etsi *Vincentianus* liber sententias contineat, *Massiliensium* placitis consonas, propterea existimandum tamen non est, dejici eum e gradu honoris, quo elogia nobilium scriptorum illum evexerunt. Totius enim *Commonitorii*, ut evolventi patet, is est, ac fere unicus scopus, quo spectant omnia, ostendere, praeter diviras scripturas ad rite cognoscenda, dijudicandaque fidei dogmata, necessariam esse traditionem, ac idcirco amplectendam, retinendam, et defendendam esse avitae doctrinae antiquitatem; vitandam vero, et abjeciendam novitatem. Quam quidem rectae fidei normam reverentur, ac tenent unanimi consensu catholici omnes, tanquam veram, certissimamque credendorum regulam 2). Quodsi nonnulla in eodem volumine occurserunt, haud satis castigate dicta, neque aliena a scitis *Semipelagianae* scholae; laudatam regulam minime infringunt; neque operis pretio quidquam detrahunt; sed id solum comprobant, auctorem bonam regulam non bene semper applicuisse; eo fere modo, quo scriptura sacra, quam christiani omnes agnoscunt, et profitentur, ceu divinorum dog-

matum fontem certum, ac indubitatum, dum ab heterodoxis perperam trahitur ad exteris, ac alienos a veritate sensus, ut sectae, cui adhaerent, impendant patrocinium, fucumque aut veri speciem adlinant, de auctoritate et vi probandi, quam habet summam, nihil deperdit; velut si quispiam, qui cum *Ario* sentit, ex illis Christi verbis: *Pater major me est*, blasphemiam suam niteretur comprobare. Non aliter sese habuit *Commonitorii* scriptor; cum statuta regula optima, vera, certissimaque, *de tenenda et sequenda antiquitate*, hunc fere in modum, sed perperam assumpsit: Atqui *Massiliensium etc. sententia vetus est*; *Augustini vero*, quod cum suis praedicat, *dogma novum 3).* En aberrationem, in quam, ut fit, praejudicatis ductus opinionibus delapsus est, salva veritate, et auctoritate regulae, quam male, uti constat, applicavit. Pari fere ratione intelligimus, a vero deflexisse scriptores ecclesiasticos alios, eloquiis divinis non recte, ut par est, applicatis; quin eorum libri exciderent auctoritate probandi. Satis sit meminisse *Justini*, *Irenaei*, *Cypriani*, *Tertulliani*, *Origenis*, *Tichonii 4),* *Donatistae*, cuius opus hermeneuticum suis studiis non indignum judicavit *Augustinus*, commendavitque divinarum scripturarum studiosis. Sed redeamus ad *Semipelagianos*, quorum coriphaeus erat *Cassianus*, *Chry-*

sostomi discipulus. Scripsit *Massiliensis* hic abbas libros VII. contra Nestorium. Quis rectae rationis contendet, argumenta, quibus usus est, in refellendis *Nestorii* novis inventis cassa esse omnia, nulliusque frugis aut ponderis; quanquam alicubi non nihil attulerit de fermento Semipelagiano? Aut quis prudens affirmaverit, *Augustinum*, qui ante initum episcopatum *Semipelagianis* praeluserat 5) in libris adversus *Manichaeos*, quos presbyter elucubraverat, fidem non mereri: si aliquae *Semipelagianorum* sententiae aliquando ipsi excidissent? Quod demum hoc loco in primis observatum velim, est, quod tum aetatis, qua *Vincentius* in doctrina de gratia lapsus est, res illa fuerit non dogmatis; sed quaestionis, quam citra fidei, aut salutis periculum, versare in hanc, illamve partem omnibus Christianis erat integrum, permisumque unius cujusque libertati; dum nulla lege ad hanc illamve partem amplectendam obligaretur. Quo quidem intuitu nec *Commissorum* haereticum est; neque haereticus illius auctor; unde nec huic, nec illi quidquam auctoritatis decedit.

1) Panico id genus metu agitatus est *anonymus scrupulorum* auctor (*Benedictinus*, *Gallus*, *Sorbonensis* doctor?) cui respondens *Norisius* scrupulos evulsit, eradicavitque *Dissert. III. de veteribus Se-*

mipelagianorum sectatoribus; operum theot. Tom. III. pag. 95. seq:

- 2) Convenienter his; quae eam in rem a synodo Tridentina sanciuntur Sess. IV. de canonicis scripturis; nec non iterantur in solemnī formula fidei, quam catholici profitentur.
- 3) Hujusmodi ratiocinum, quo usus est Vincenti ad fidem conciliandam Semipelagianorum assert aperte continetur in arguta illa paraphrasi, qua cap. 43. Commonitorii interpretari conatus est. Coelestini papae epistolam; de qua alibi satis, superque. Docuisse Semipelagianos, sententiam suam de gratia esse vetustam; Augustinianam vero novam, refert quoque in epistola ad Augustinum Prosper, ut supra vidimus; ad quam quidem accusationem respondet Augustinus Lib. de praedest. Ss, cap. 14. et dono persev. cap. 19. et 20.
- 4) S. Aug. in laudem Tichoniani operis Lib. III. de doctr. christ. cap. 30. scribit: *Tichonius quidam Donatista fecit librum*, quem *Regularum* vocavit . . . Quod ideo dicendum putavi, ut liber ipse et legatur a studiosis: quia plurimum adjuvat ad scripturas intelligendas.
- 5) Quo pacto *Augustinus* ab errore ad veritatem fuerit traductus, paucis indicat in Lib. de Praedest. Ss. cap. 3.; ubi recitatis apostoli verbis: *Quid autem habes, quod non accepisti?* ita pergit: „Quo „principue testimonio etiam ipse convictus sum, cum „similiter errarem; putans, fidem, qua in Deum „credimus, non esse donum Dei; sed a nobis esse „in nobis, et per illam nos impetrare Dei dona, quis

„bus temperanter, et juste, et pie vivamus
„hoe seculo.“

IX.

Neque obest sanctitati auctoris.

Qui *Semipelagiani* hodie audiunt 1), multum quondam erant honorati, et commendati tum doctrinae, tum pietatis laude. Beatus *Augustinus* appellat eos *fratres* 2); sanctus vero *Prosper* 3), etsi acrius interdum in eos iunctus fuerit, illos nominat *servos Christi, sanctos, honoribus et meritis claros, et egregios in omnium virtutum studio viros; concorporales nostros, et participes gratiae Christi* . . . quibus communis fides est defensa, a Catholicis non sejunctos. *Ingenii, scientiaeque dotibus non caruisse, testantur opera, quae reliquerunt; neque negant coaevi scriptores, quamquam adversarii* 4). Dum erant in vivis, plures ad ecclesiasticas eveniti cathedras 5); post obitum vero intersanctos culti fuerunt 6). Quo pacto sanctitas cum *Semipelagianismo* possit conciliari, cultusque post obitum; non unam omnes in eunt viam. Sentiunt aliqui, illos resipuisse, ac mutata mente, abjurasse errorem 7). Alii confugiunt ad ignorantiam invincibilem, ut

peccato immunes faciant veteres Semipelagianos 8). Nos missis ejusmodi opinationibus, rectius illos excusandos putamus cum magni nominis celebribus doctrina viris, quos prae-euntes habemus, affirmantes, tum aetatis errorem, quo *Semipelagiani* veteres laborabant, fuisse innoxium; donec tandem post annos centum ab obitu *Augustini*, solemnni decreto concilii *Arausicanii* II., universalis ecclesiae consensu comprobato, proscriberetur 9). Quodsi igitur, ut ad eum revertamur, cuius gratia haec dicta sunt, erravit *Vincentius*, errorem erravit proorsus in eum, qui ejus sanctitati nullam labem inurit. Vi it enim, et scripsit illis diebus, quibus culpae non deputabatur *Semipelagianus* error, cum lex non esset, qua prohiberetur. Stat itaque, bene componitur cum *Vincentii* sanctitate *Semipelagianismus*, cui suffragatus est. Atque hunc in modum ostendunt viri praeclarissimi, non pugnare cum *Vincentii* sanctimonio, aut cultu errorem, in quo haeserat. Ita sane senserunt e celebrium scriptorum choro *Suarez* 10), Card. de *Aguire* 11), *Raynaldus* 12), *Labbeus* 13), *Antelmius* 14), *Lud. Thomassinus* 15), *Sirmondus* 16), *Norisius* 17), quibus adjungendi sunt *Muratorius* 18) et *Benedictus XIV.* 19). In hos, aliosve, qui illi consentiunt, dum *Walchius* 20) virgulam vibrat; videat, ne verberet aera.

- 1) *Semipelagianorum* nuncupatio recentioris aevi est. Antiquitus erant fere anonymi, aut appellabantur *Pelagiani* vel *reliquiae Pelagianorum*. Interdum veniunt nomine *Massiliensium* apud sanctum *Prosperum*, vel *ingratorum* apud eundem in carmine *de ingretis*. Quis primus *Semipelaginnos* dixerit; haud satis liquet. *Luculentius* est, ita dictos fuisse, quod cum *Pelugianis* partim sentirent; partim ab illis dissentirent.
- 2) *Aug.* de praedest. ss. cap. 14. disserens de Semipelagianis: *Fratres nostri*, inquit, *qui nobiscum pro catholica fide perniciem Pelagiani erroris impugnunt*.
- 3) *Prosper* in epist. ad *Aug.* de Semipelagianis scribit: *Hoc totum*, quod *Augustinus* habet in libris contra *Julianum*, *ab istis sanctis intentiosissime* *conclamatur*. Et circa finem addit, esse metuendum, ne tam claris, tamque egregiis omnium virtutum studio viris spiritus Pelagianae impie-tutis illudat. Idem sanctus *Prosper* adversus *Collatorem* cap. 1. postquam *concorporales et participes gratiae Christi* appellaverat; cap. 2. allo-quens *Cassianum*, vocat eum *doctorem catholicum*. Tandem cap. 22. generatim de Semipelagiani haec subjungit: *Quorum tamen dum adhuc non sunt a fraterna societate divisi; toleranda magis est intentio, quam desperanda correctio*. Unde consequitur, catholicis fuisse adnumeratos.
- 4) *Prosper* cap. 2. contra *collatorem* ait: *Dubium non est, in sanctorum scripturarum studio prae-stare Cassianum, facile preferendum Hilarie, Fausto, Vincentio, aliisque*.

- 5) Verba *Prosperi* in epist. ad *Augustinum* eam in rem haec sunt: *Quoad auctoritatem non sumus eis pares; et multum nos vitae meritis antecedunt: et aliqui eorum adepto nuper sacerdotali honore supereminent.* Ex eorum numero episcopale munus obierunt, apud *Arelatenses Hilarius; Faustus* apud *Rejos*.
- 6) *Hilarius Arelatensis* et *Vincentius Lerin*. occur- runt inter sanctos in martyrologio Romano: ille ad diem V. Maji; iste ad diem XXIV. ejusdem meusis. *Fausti* nomen in Rom. martyrologio non legitur. Fer- runt tamen illius diem festum agi apud *Rejas*; uti apud *Massilienses Cassiani*.
- 7) Qui in refellendo hujusmodi asserto operam vellet ponere, suo, suorumque lectorum otio videretur abuti.
- 8) *Anonymous Gallus*, *scrupulorum* auctor, multus est ac pertinax in adstruenda invincibili ignorantia, ut excusaret Semipelagianos veteres. At in ea impugnanda *Norisius*, quanquam invitus, aequo est longus. Negat, fuisse invincibilem, quia potuisset deponi; si rem diligentius pensitassent. Aserit fuisse vincibilem; sed *inculpatam*: quia nulla lege tenebantur ad illam depellendam; siquidem fuerit omnis ista disputatio tum aetatis adnumerata illis, quae mediae, indifferentes, adiaphorae appellantur.
- 9) Concilium *Arausicanum II.*, habitum in Galliis an. 529., etsi in eo praesentes non fuerint, nisi episcopi 13, maxima in ecclesia auctoritatis est, ob concessionem totius orbis christiani. Conditi sunt in hac synodo canones XXV., *Semipelagianis* oppo-

siti. Canone VI. capitale eorum dogma disertius re-jicitur. Ita namque sancitum legimus: *siguis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, potentibus, quaerentibus, pulsantibus, nobis misericordiam dicit conferri divinitus . . . resistit apostolo dicenti: Quid habes, quod non accepisti?*

- 10) *Franc. Suarez* inter theologos suae familiae principes, Prolegomeno V. de grat. cap. 5. de veteribus Semipelagianis, quos dum excusat, scribit: *Nondum erat illa sententia Semipelagianorum, haeresis vel erroris condemnata ab ecclesia,*
- 11) *Card. de Aguirre* Tom. III. sect. 13. pluribus demonstrat, fuisse *Semipelagiunos doctores orthodoxos, citra laesae fidei crimen; usque ad concilium Arausicanum,*
- 12) *Theoph. Raynaldus* cap. 3, apologiae pro *Valeriano Massiliensi* scribit: *Viri sanctitate, ac eruditio-ne praestantes in questione de gratia, necessaria ad initium fidei, a divo Augustino impune dissidebant.*
- 13) *Labbeus* Tom. IV. C. C., pag. 1042. ait: *Sanctissimos et doctissimos viros 100 annos exercuit controversia de necessitate gratiae ad initium boni operis. Post Arausicana decreta, haeretica sunt illa asserta Semipelagianorum.*
- 14) *Antelmius* Dissert. I. de vero auctore Capitularium Part. II. pag. 68. affirmat, *Semipelagianorum fidem ante Arausicanam synodum in jus vocari non potuisse.*

- 15) *Lud. Thomass.* Dissert. XVIII. in synodus num.
3, ita loquitur: *Ad Arausicanas usque synodi
tempora Semipelagiani inter catholicos numeri
rari non desierunt,*
- 16) *Sirmondus ecclesiasticae historiae consultissimus*
Tom. I. C. C. Galliae pag. 605. *Multi, inquit,
doctrina et pietate praestantes viri in Gallia fa-
vere visi Semipelagianis; quorum placita in
hac demum synodo (Araus.) penitus explosa et
rejecta sunt,*
- 17) *Norisius* Tom. III. opp. theol. pag. 119. id quod
illa aduersus scrupulorum auctorem copiosius expo-
nit, *tanquam certum sumit, eam Semipelagia-
norum opinionem ad synodum usque Arausica-
nam fuisse adiaphoram, ac inter catholicos lici-
te controversam: qua ratione illorum etiam sanc-
titas a priori, ut loqui inquiunt, defenditur,*
- 18) *Muratorius* Lib. III. de ingen. mod. cap. 25.
*Non idcirco, inquit, laesisse fidem dicti sunt
Vincentius Lerin., Hilarius Arelat., Cassianus,
Faustus, Gennadius, Sidonius, aliquique aut Le-
rinenses, aut Massilienses, quod Semipelagianis-
mum foverint. Tunc solum exsecranda coepit eo-
rum doctrinu de initio fidei; cum synodus Arausi-
cana exposuit, quid hic sentiret, sentiendum-
que mandaret ecclesia verax.*
- 19) *Benedictus XIV.* in epist. ad regem Portuga-
liae martyrologii novae editioni praefixa num. 31.
de *Hilario Arelatensi et Vincentio Lerinensi*
scribit: *Excusandi sunt; siquid humani hac in
parte illis exciderit: nondum enim catholicu*

doctrinā supremo sedis apostolicae, ecclesiaeque universalis iudicio, et consensu fuerat definita.

20) *Wulchius* Tom. V. *Haereseologiae* pag. 196 doctrinam catholicorum, qui tuentur, *Semipelagianos* ante concilium *Arausicanum* errasse quidem, at haereticos non fuisse; nihil tamen minus sanctos esse et cultu dignos; vocat *effugium*, *castigatione dignum* (Ausflucht, welche verdient gerüget zu werden). *Vae coelitibus, coelitumque defensoribus*; si his, qui *inculpate* errarunt cum *Cypriano* et *rebaptizantibus*: si illis, qui cum *Justino, Irenaeo, aliisque Chiliastis* a *veritate* deflexerunt, dies dicitur a censore duro, et immitti; iisque in jus vocantur, qui sanctos a frivolis accusationibus vindicandos sibi sumpserunt.

X.

*Non est auctor objectionum Vin-
centianarum.*

Post sancti *Augustini* obitum 1), ante- quam ederetur in lucem *Vincentii Commonitorum*; vulgatae sunt *objectiones Vincentianae* 2) sive XVI. capitula, aut totidem propositiones, quibus beatus *Prosper* laces- tur, trahiturque in detestationem et invi- diam; quasi esset *Praedestinatianus*, doce- retque, *Christum non esse pro omnibus mor- tuum, nec Deum velle, omnes homines salvos*

fieri: *Deum autorem peccati esse, homines, que praedestinari ad saorilegia, incestus, adulteria; et quae sunt id genus blasphemiarum portenta ali, quae a Praedestinatianis praedicantur.* Sanctus Prosper cum intelligeret, afficas sibi sententias impias publice, privatimque circumferri, sive ad mitigandos oalumniantium animos, sive ad instruendos alios, quorum auribus tale quid insonuisset: diabolici indicis, ut ipse loquitur, *sexdecim capita, singulatim excutere, refellereque constituit.* Hinc natus est ejus liber, inscriptus: *Prosperi responsiones ad capitula objectionum Vincentianarum.* Quisnam fuerit mendacium capitulorum auctor, ut in rebus obscuris fit, inter eruditos disceptatur. *Semipelagianum* fuisse, nemo dubitat. *Baronius* incusat *Vincentium, Gallum, presbyterum, Commentatorem* in psalmos. At, ut alibi adnotavimus, tempora non concordant. Qui *Victori Vincentio* has objectiones tribuunt, non cogitant, eum ab *Augustino* meliora edoctum, errore deposito, ad frugem rediise, *Vossius, Norisius, Nat. Alex., Dupinius, fratres Ballerini, Caveus, Hottinger* infelicem partum adscribunt *Vincentio nostro Lerinen-*si; quia fuit *Semipelagianus, commonitorii* auctor, et homonymus. Verum consentire hisee conjecturis haud possumus. Asserit enim sanctus Prosper, non unum fuisse, sed

plures, qui indiculum illum ementiarum accusationum contexuerint 3). *Vincentius* autem noster socia aliorum opera in levidensi hoc negotio minime indiguisset. Ad haec ut idem sanctus *Prosper* testatum facit, erat, qui objectionum farraginem congessit, verborum inops, qui rem eandem, iisdem verbis, eodem loco inepte repeteret 4). Quae cum quam longissime absint a doctrina, et stylo nostri *Vincentii*; recte infertur, *Commonitorii* auctorem diversum esse ab auctore objectionum *Vincentianarum*. Quis ergo abortivi partus verus parens? Arbitramur, ut a *Prospero* edocemur, non unum, sed plures fuisse, scholae *Semipelagiana*e alumnos, forsan adscriptos sodalitio cuidam monastico. Sioguli, ut videtur, contulere symbola, pro sua quisque facultate, aut mentiendi libidine, ad *Prosperi*, quem sibi adversantem habebant, exagitandam doctrinam, quam vel non intellexerant, vel intelligere nolebant. Collegerunt varia deterrimae accusationis capitula, quae in *Prosperi* caput intorquerent. Erat, qui illa in ordinem, atque hanc formam redigeret, homo in Latio parum versatus verborum inops, atque rerum; quod *Prosper* ei objicit in *responsione* ad capitulum IX. Ut pondus adderent criminacionibus a se confictis, suisque mendaciis conciliarent auctoritatem, *objectiones* illas appellarunt *Vincentia-*

nas a Vincentio forsan nostro, qui tum apud *Massilienses* doctrinae fama inclarescebat. Ceterum parum refert, calumniatorum nosse nomina.

- 1) Post sancti *Augustini* obitum confictas esse istas *objectiones*, videtur *Walchius T. V. Haeres.* pag. 70, ex eo inferre, quod s. *Prosper* in praef. libelli adversus *Object. Vinc.* dum nominat *Augustinum*, addat vocabula; *beatae memoriae*. At fallitur. Neque enim in praefatione, neque in textu totius libelli nomen *Augustini* occurrit,
- 2) Si fides est *Petro Franc. Fogginio, Rom. editori operum S. Prosperi*, ejus *responsiones ad obj. Vinc.* anno 431. aut 432. consignandae sunt.
- 3) *Prosper* praefationem, quam responsonibus ad objectiones *Vincent*, praemisit, eum in modum orditur: „Quidam Christianae ac fraternae charitatis „obliiti, in tantum existimationem nostram quoquo- „modo student laedere; ut suam se revertere, no- „cendi cupiditate non videant. Contexunt enim, et „qualibus possunt sententiis, comprehendunt ineptis- „simarum quarundam blasphemiarum prodigiosa men- „daci asserentes tali in nostro esse sensu etc.
- 4) De tautologiae vitio, et sermonis inopia conqueritur *Prosper* in responce ad capitulo IX., quae hisce verbis concepta est: *Nec hujus definitionis insania aliud sonat, quam gemina objectio prae- locuta est. Unde mirandum est, objicientem tertio repetisse, quod semel dixisse sufficerat*.

sed, ut res est, numerum criminationis augere voluit: quia sensum variare non potuit.

XI.

Neque auctor est Praedestinati.

Praedestinatus (ita opus appellatur, quod *Jac. Sirmundus* in luce protraxit 1), complectitur libellos tres: *Primus* exhibit indicem seu catalogum haereticorum. Orditur a *Simone mago*, et desinit in *Praedestinatianis*, quae haeresis est numero nonagesima 2). *Secundus*, idemque brevissimus absolvitur foliolis quinque, plenus blasphemiarum, cuiusmodi *Praedestinatiani* eructare feruntur. *Hoc opusculum*, ut affirmat *Praedestinati auctor*, confictum est a *Praedestinatianis*, praefixo *Augustini* nomine, ut tanti Doctoris ementito patrocinio suis blasphemias fidem conciliarent, incautosque deciperent. *Venius*: confictus est iste libellus a *Semipelagianis*, velut *objectiones Vincentiane*, in odium *Augustiniana* doctrinae 3). *Libellus*, tertio aut postremo loco positus, rursus est *Praedestinati*, qui in eo versatur, ut refellat sententias impias, quas continet libellus praecedens, *Augustino* suppositus. Plures cum immiscet errores tum *Pelagianos*, tum *Semi-*

pelagianos 4); satis elucet, ex qua fabrica opusculum prodierit. Difficilius est, desinire, quisnam *Praedestinati* sit verus auctor. *Sirmondus*, quem sequuntur cum *Petavio* alii, tribuit *Arnobio juniori* 5). *Lucas Holstenius* et *Nic. Rigaltius Primasio* adscribunt 6). *Piecinardus* hujuscē operis scriptorem censet esse *Vincentium Victorem*. *Oudinus* contendit, auctorem esse *Vincentium Lerinensem*, scriptorem *Commonitorii* 7). Qui demum cunque verus ejusce lucubrationis auctor fuerit (quod est obscurissimum: re omni prolabente ad conjecturas, in quibus certi nihil) negandum tamen non est, scriptorem esse antiquum 8). Vero dēnique simillimum nobis videtur, librum tribui non posse *Vincentio nostro Leriniensi*. Repugnat enim dissimilitudo tum styli 9) tum eruditionis 10), quae in *Commonitorii* scriptore longe major erat, quam in compilatore *Praedestinati*. Quaerenti tandem, quis *Praedestinati* verus sit auctor, respondemus, nobis satis esse, quod huc spectat, demonstrasse, illius auctorem non esse *Vincentium nostrum*; qui demum cunque partus, itata *Minerva* editi, parens fuerit. Non opinamur, nos a vero longius aberrare; si, quod supra de auctore *objectionum Vincentianarum* diximus, idem de hujus etiam opusculi auctore statuamus. Auctor erat *Sampelagiatus* (Unus, an plures, parum re-

fert) ; confinxit *Praedestinatianam* haeresi affinxitque *Augustino*. Libellus secundus, qui afflictas *Augustino* sententias praefert; et tertius, qui eas impugnat frigide, fallaciterque, eundem auctorem habet; ut perspicuum fit ex vocibus, figuris, phrasibus, barbarismis, in utroque tam sui similibus, ut dubitandum non sit, ex eodem excidisse calamo.

- 1) *Sirmondus* veterem msc. codicem publicavit *Parisiis* an. 1643. 8.; cum titulo careret: praefixit *Praedestinati* nomen. An. 1645. 8. comparuit editio altera, absque indicio loci (*Paris.*) curata ab *Awraeo*, doctore *Sorbonico* (*Laiet* hoc sub nomine *Martinus de Barcos*, abbas *S. Cyrani*) adjecta libello censura, qua ostendere nititur, nunquam exstitisse apud veteres, *Praedestinatiorum* haeresin; *Sirmondum*, qui contrarium affirmaverat, acerbius saepe habet. Non minus graviter Praedestinati editorem exceptit *Mauguinus in praedest. fabulae confutatione*.
- 2) Comminiscitur haeresiologus, se sua hausisse ex *Hygino*, *Polycrate*, *Africano*, *Hesiodo*, *Epiphasio*, et *Philastrio*. *Augustinum* reticet, ex quo descriptsit miser plagiarius; si quae bona retulit. Bonis immiscet mala plurima, dubia, falsa, conficta, et omni antiquitati ecclesiasticae incognita.
- 3) Putat *Piccinardus* in præf. Tom. I. opp. *Sirmondi*, ex opere *Evodii*, *Vzalensis* in *Africa* episcopi, ad *Valentinum* abbatem, ceterosque monasterii *Adrumetini* incolas misso, Gallos excerptissime

éapitula (*Praedestinati?*) quibus *Augustini* doctrinam traducere conati sunt, *Valentinum* scripsisse *Evodio* de controversiis in suo coenobio excitatis; *Evodiumque* rescripsisse *Valentino*, constat ex historia *Praedestinati* *Jac. Sirmondi*; qui litteras *Evodii* invenit in veteri codice *S. Maximini Trevir.*, earumque fragmentum inseruit primo capiti ejusdem historiae. Agit de scriptis *Evodii* veris, et suppositiis *P. Berti* in opere: de rebus gestis *S. Aug.* pag. 294 et 298.

- 4) Non aliam praedicat gratiam, quam *Pelagianam*. Concupiscentiam non secus, ac *Julianus* appellat *bonam*. Cum *Semipelagianis* vero repetit fidei, et bonae voluntatis itum ex solis naturae viribus.
- 5) Fatendum equidem est, apud *Arnobium* juniores, qui consensit *Pelagianis*, maxime dum interpretatur psal. 117. et 142., occurrere loquendi modos, similimos his, quibus usus est *Praedestinati* auctor; at, nisi accedant argumenta alia, præcipitis erit judicii, utrumque auctorem, *Arnobium* cum *Praedestinato*, confundere.
- 6) *Lucas Holstenius* in epist. ad *Sirmondum*, et *Nicol. Rigaltius* in notis ad *Cyprian.* epist. 49. et 55. *Primasium* hujus libri auctorem malunt; cuius nomine inscriptos hos libros vidit *Jo. Mabillo-nius* in bibliotheca *Augiensis*: et huic non male convenire ea scribunt, quae de *Primasio* habet *S. Isidorus Hispal.* Vide iter germanicum Tom. IV. Analectorum. At ex *Isidori* verbis, nec non ex epistola *Sirmondi* ad *Holstenium* alios prorsus ab his fuisse tres *Primasii* libros de heresibus, satis

apparet; quemadmodum monent fratres *Bablerint* in observat. ad Hist. Pelag. Norisii cap. 10.

7) *Vincentium Victorem* non elucubrasse hos libros, ex eadem ratione conficitur, quia nūperrime ostenditius, elaboratas ab ipso non fuisse, neque confititas *objectiones Vincentianas*. Quibus adde, quod S. Prosper objectionibus istis occurrens, si libri illi vere *Vincentii* hujus fuissent, adversus quem Augustinus scripserat, et qui *Augustini* argumentis concedens ab errore deflexerat, id illi exprobare, atque opponere summa vi non praetermisisset.

7) *Casimirus Oüdi us* pag. 1245. Comment. de scriptoribus ecclesiasticis Tom. I.

8) *Weismannus* pag. 315. Memorab. *Hist. eccl.* Tom. I. scripsit: *Libellus Praedestinati recentior est*. Nos veterem esse conjicimus ex eo, quod recensens haereses, desierit in *Nestoriana*, et *Praedestiniana*; nec quidquam habeat de *Eutychiana*. Neque *Mauguinus*, qui *Praedestinati Simonianici* acerrimus erat impugnator, opusculi antiquitatem negat.

9) Stylum quod attinet; *Vincentianus* dissimillimus est ei, quo usus est auctor *Praedestinati*. Praefationes solent elaborari diligenter; ut oratio non videatur rūdis, et inculta, quae lectorem in primo mox congressu deterrat. En, quibus verbis praefationem suam finiat scriptor *Praedestinati*: *Orabunt pro nobis sancta studia, quae ad requiem curarum suarum per hunc nostrum laborem attingunt*. Ex his conjecturę esto de ceteris! Quis, amabo, tālia e calamō nostri *Vincentii* fluxisse credat? Jure itaque

merito miratur *Auraeus*, a *Sirmondo*, litteris elegantioribus probe exculto, vulgari atque tanquam bonum auctorem commendari potuisse librum adeo pudendum, in quo tot *barbarismi*, *soloecismi*, et in *grammatica* tot *foedi errores*, *eloquentiae* et *elegantiae latineae contrarii*, affatim occurrunt.

11) Ut fiat palam, quam crassa laboraverit ignorantia *Praedestinati* auctor, eruditionis sacrae prorsus inops, lubet speciminis loco nonnulla proferre. Ait, *Hyginum*, *Polycratem*, *Africanum*, *Hesiodum* graece scripsisse ante sanctum *Epiphanium* libros multos de haeresibus, ex quibus sua decerpsisse affirmat. Hos fabulator haereseon scriptores venditat; ante eum nemo; neque postea. Ait, *Hesiodum*, episcopum *Corinthiensem*, *Arianis* primum restitisse, ejusque precibus *Arium* effusis visceribus subito exspirasse. Quis vero nescit, primum *Arii* impugnatorem fuisse *Athanasium*? Ait, *Tertullianum* bene et incomparabiliter scripsisse omnia: atque in hoc solum fuisse reprehensione dignum, quod *Montanum* defenderit contra *Soterum* pontificem Romanum, quem contendit, damnasse haeresin *Tertullianistarum*. Quot verba, tot foedi errores, quos singulatim excutere, nostri non est instituti. Norunt id omnes, qui in historia sacra peregrini non sunt. Sufficiat pauca portentosi scriptoris errata huc congesisse. Qui plura nosse percupit opinionum monstra, fabulas, mendacia, errores, haereses, legat *Auraei* censuram de hoc opere latam annexamque *Praedestinato*, quem vulgavit *Lutetiae* 1645. 8. Quantum ista ab eruditione *Vincentii* distent, nobis etiam tacentibus, intelliget prudens quisque lector.

XII.

Neque symboli: Quicunque 1).

Censendum denique non est, *Vincentium Lerinensem* auctorem esse symboli: *Quicunque*; secus ac visum est *Antelmio*, qui elucubratione peculiari illud *Vincentio* nostro adjudicare adnisus est. Sed frustra. Quae enim eam in rem adducit, tanti non sunt, ut assensum mereantur 2). Quanquam enim haud gravate largiendum sit, quod est *Antelmii* argumentum praecipuum, in *Vincenziano Commonitorio* reperiri phrases, modosque loquendi iis similes, quae in *Athanasiiano symbolo* occurunt, ut manifestum est conferenti 4): analogae tamen id genus formulæ non, ut par est, demonstrant, utriusque scripti unum, eundemque esse auctorem 5); dum momenta alia desunt, quae habeant plus ponderis; quo revocantur codices msc. veteres, aut testimonia coævorum, fide digna. Quae si suppeterent; haud aegre (quod etiam spondet cum *Montfauconio Gallandius*) in *Antelmii* sententiam concederemus. Constituerat equidem *Vincentius* (quin disertis verbis promiserat) *Commonitorium*, quod ediderat, revocare ad incudem, perpolire, et elaborare diligentius 6): spem praeterea feco-

fat 7), opus aliud de incarnatione verbi se
élucubraturum esse, quo plenius exponeren-
tur ea, quae ad mysterii illius uberiorem no-
titiam pertinent: at an verbis steterit, aut
liberaverit fidem datam: oppido incertum est.
Illud est certum, nihil istiusmodi ad nos per-
venisse. Non minus exploratum est, neque
Commonitorium secundis curis emendatum;
si exstaret; neque opus illud plenius de i-
carnatione, si confecisset, nomine symboli
venire posse. Utrumque enim fuisset multo
copiosius, aliaque ratione contextum, quam
ut symboli formam prae se ferre videretur.
Unde recte conficitur, non suppetere firmum
quoddam argumentum, quod convincat, *Vin-
centium* symboli: *Quicunque* auctorem esse.
Quae adversus sententiam *Antelmi* modo at-
tulimus, ea pariter valere arbitramur contra
opiniones aliorum, quae hac de quaestione
hactenus in lucem prodierunt 8). Nulla enim
ex omnibus est, cui acquiescere tuto liceat:
siquidem careant auctoritate antiquorum co-
dicum, ac destituantur testimoniis veterum
idoneis; ut recte dixeris, facilius common-
strari, quis auctor symboli: *Quicunque* non
sit: quam quis sit 9). In Galliis natum fuiss-
se, non abnuimus 10).

- 1) Symbolum, cuius initium est: *Quicunque vult salvus esse etc.*, quod nomine sancti *Athanasii* vulgo circumfertur, tantae est dignitatis, ut in officiis ecclesiasticis locum habeat, atque diebus dominicis palam in ecclesia recitetur, aut concinatur alternantibus choris.
- 2) Erat *Joseph Antelmius*, vergente ad finem seculo XVII. ecclesiae *Foro Juliensis* canonicus, ad cuius dioecesin *Lerinensis* insula spectabat, vir doctrina praestans, et amicissimus *Montfauconio*. Reliquit de rebus sacris syllogen dissertationum, quas inter una est inscripta: *Nova disputatio de symbolo Athanasiano*: cui opposuit *Montfauconius* pag. 717. Tom. II. operum S. *Athanasii*, *Diatriben in symbolum: Quicunque*.
- 3) En rationum momenta, quibus opinionem suam suffulxit *Antelmius*:
 - a) Vixit *Vincentius Lerinensis*, scriptor nobilis, ea aetate, qua hoc symbolum est adornatum.
 - b) Haeresibus quibuscumque indi it bellum.
 - c) Haereses, in symbolo notatas, dissertis verbis impugnavit in *commonitorio*.
 - d) Uti *commonitorium*, ita hoc symbolum non vulgaravit suo praefixo nomine.
 - e) Patria *Vincentii* est *Belgice secunda*; ubi symbolum primo repertum est.
 - f) Ipse *Trevirensi* antistiti, qui tum aetatis illi ecclesiae praefuit, adstrictus erat necessitudi is vinculo,

g) Similis beato *Athanasio*; a patriis finibus fere exulabat. Quae hucusque adduximus, nec pro pugnamus, nec impugnamus; brevitatis memores. Quae sequuntur, non nihil plus roboris videntur habere.

h) In *commonitorio* eadem occurunt loquendi formulae, quae in symbolo continentur.

i) In animo habuit, fidei confessionem, quam in *Commonitorio* exhibuit, elaborare diligentius.

k) Immo opus novum, quod huc attineat, se elucubraturum esse, asseveravit; ut ex eodem *commonitorio* edocemur.

Quantum momenti, aut ponderis iis insit, quae posterioribus hisce locis proposita sunt, prudens lector intelliget, si relegerit, quae proxime praecedente §. eam in rem commemoravimus.

4) Ut palam fiat, quam sint sui similes loquendi formulae, quae in utroque libello comparent, singulari studio, quae in *Commonitorio* sparsim vagantur, similia his, quae feruntur in symbolo, diligenter collegit, atque in tres tabulas digessit *Antelmius*, ut similitudo, quam inter se habent utriusque libelli sententiae non tantum, verum etiam particulae singulae, quae huc spectant, uno quasi obtutu deprehendi facilius possit.

5) Usus est *Vincentius* in *commonitorio* iis loquendi formulis, quae tum aetatis apud Latinos in ecclesia erant usitatae. Idem institutum sibi secundum pariter proposuit auctor symboli; quisquis fuerit. Quare factum est, ut uterque scriptor in enarrando Tri-

nitatis, et incarnationis mysterio, iisdem prope verbis uteretur. Loquendum namque est cum ecclesia; velut locuti sunt *Augustinus*, *Cassianus*, *Vigilius Tapsensis*, aliquique his synchroni; cum de Trinitatis et incarnationis mysterio verba facerent.

- 6) Conf. Praef. *Commonit.* prope finem.
- 7) Vide, quae de his ex *Commonitorii* cap. XXII. referuntur sequente §. XIII.
- 8) Sunt non pauci, qui hoc symbolum adjudicant S. *Athanasio*: tribuunt patribus *Nicaenis*; alii adscribunt aliis; velut *Eusebio Vercellensi*, *Philastrio*, *Venantio Fortunato*, *Anastasio Sinaitae*, *Athanasio Spirensi*, *Anastasio Romano* pontifici, *Vigilio Tapsensi*, *Bonifacio* cuidam etc. etc. Quis tantas poterit compondere lites?
- 9) Qui varias variorum hac de controversia sententi cognoscere percupit; consulat Fratres *Ballerinas* i adnotationibus ad dissertationem XIV. *Quesnellii* in Appendice ad Tomum III. operum sancti *Leonis* papae. *Venetiis* 1757.
- 10) In *Galliis* elucubratum esse, haud abs re conjectant viri eruditi; eo quod ibi primum celebrari coepit: ut ex veterum constat testimoniis adductis a *Montfauconio*. Idem confirmat mos ille antiquissimus, in Gallicanis et Anglicanis ecclesiis symboli alternatim concinendi; tum msc. in Galliae bibliothecis copia, et antiquitas translationum in linguam gallicam. Quam ob rem mirari subit, quo pacto P. *Gazzaniga* pag. 206. prael. theol. Tom. III. *Venetiis* 1797. 4. pronuntiaverit, omnium probabiliorem

videri opinionem *Quesnellii*, qui diss. XIV. in opp. *S. Leonis Vigilio Tapsensi* adserendum putaverit; si quidem ipse *Quesnelli*us l. c. non nisi conjectando loquatur. En conjecturas: 1) Solebat *Vigilius* lucubrationes suas supponere *Athanasio*. 2) *Vigilius* tunc exorientem *Eutychetis* haeresin impugnare coepit. Haec autem haeresis in hoc symbo-
lo rejicitur. 3) Occurrunt apud *Vigilium* iidem lo-
quendi modi, quibus constructum et apparatus est
symbolum. Quantum hisce conjecturis deferendum
sit, ex dictis abunde liquet.

XIII.

Libri a Vincentio promissi.

Post *commonitorium* in lucem ac homi-
num manus emissum, quibus studiis exerce-
re stylum constituerit *Vincentius*, ipse decla-
rat. In animo videlicet habuit, quod solem-
nibus affirmat verbis, se operam daturum,
ut idem *Commonitorium* secundis curis elima-
tum, castigatius, perfectiusque emiteretur 1).
Deinde promisit, elaboraturum se esse opus
novum, quo ea, quae ad Verbi incarnationem
attinent, copiosius exponerentur 2). De pri-
ore quidem, quam pollicitus est, opera sic
habet: *Quod tamen* (*Commonitorii* opuscu-

lum) paulatim recolendo emendare, Domino praestante, conabor. Et paulo post rogat censores, in quorum manus inciderit, nequid in eo temere reprehendant; quod adhuc videant, promissa emendatione limandum. Hinc comperimus, non fuisse *Vincentium* de eo scriptorum genere, qui viribus suis confisi plus aequo, quae semel chartis illiverunt, ceu oracula falli nescia aliis obtrudunt, et credi volunt 3).

Operis alterius spem fecit *Commonitorii* cap. 22. Postquam enim catholicam doctrinam de mysterio Verbi incarnati paucis proposuerat, addit: *Haec in excursu dicta sunt; alias, si Deo placuerit, uberior tractanda, et explicanda.* Fortasse id negotii aggrediendum ratus est, sive temporum habita ratione; sive excitatus exemplo *Cassiani*, qui hortatu *Leonis*, tum, ut ferunt, archidiaconi Romani, post vero Romani pontificis, *Magni* nomine clari, opus luculentum de incarnatione dominica, antequam *Nestorii* haeresis in *Ephesina* synodo proscriberetur, in septem distinctum libros contexuit; eidemque *Leoni* dicavit 4). Quae animo destinaverat, sive de recudendo *commonitorio*, sive de novo elucubrando opere pleniore, quod in expositione doctrinae de Verbi incarnatione versaretur, perfecisse *Vincentium*, quis poterit

affirmare? Certe nihil istiusmodi ad nos per-
venit.

- 1) Vide praefationem *Commonitorii* prope finem.
- 2) Hujus operis mentionem fecit *Vincentius*, aut spem
injecit in fine cap. XXII. *Commonitorii*.
- 3) Qua cura, quove studio veteres in edendis foetibus lit-
terariis usi fuerint, refert Plinius diversis in epistolis. Pen-
sitarunt ante omnia, quid valeant humeri. quid ferre
recusent. Quae conjecterunt in chartam, communi-
carunt cum familiaribus quibusdam amicis doctis.
Demebant, addebat, mutabant, quae illi monuerint.
Recitarunt postea palam in selecto eruditorum con-
ventu. Moniti denuo, spongiam rursus adhibebant,
aut limam; priusquam in manus hominum pateren-
tur elabi opera, quae elaborarunt. Hinc nata illa mo-
numenta sunt, quae aetatem ferunt.
- 4) Rem non injundam lectoribus meis me facturum
esse confido; si, quam verbis nitidis animi cogitata
declaraverit *Cassianus*; quaque sermonis elegantia
oblatam sibi a *Leone* adversus *Nestorium* scriben-
di provinciam sit deprecatus, huc translato praefa-
tionis initio comprobem. „Absolutis, inquit, dudum
Collationum spiritualium libellis, sensu magis, quam
sermone insignibus: quia alto sanctorum virorum
sensui sermo nostrae imperitiae impar fuit: cogitave-
ram, et propemodum constitueram post illum prodi-
tae inscitiae pudorem, ita me in portu silentii collo-
pare, ut excusarem, quantum in me esset, per
taciturnitatis verecundiam loquacitatis audaciam. Sed
viciisti propositum ac sententiam meam laudabili stu-

dio et imperiosissimo affectu tuo, mi *Leo* venerande ac divi i misterii decus, producens me ex illo praemeditati silentii recessu, in publicum, formidandumque judicium; et nova subire cogis adhuc de praeteritis erubescen tem: cumque etiam minoribus impar fuero, par majoribus a te esse compellor.“ Cetera, quae sequuntur, parem styli ornatum, dicendi que facilitatem praeferunt. Quis vero ab homine *scytha*, medi in barbarie nato, talia exspectaverit?

XIV.

*Editiones praecipuae Commonitorii,
et translationes in linguas
alias.*

Ex his, quae hucusque disputavimus, consequens est, solum *Commonitorium Vincentii Lerinensis* legitimum partum esse. Restat, ut de operis *Vincentiani* editionibus, quae quidem numerosissimae sunt, nonnulla subjiciamus.

Inter editiones, quae comparuerunt excusae typis, temporis ratio si habeatur, facile princeps illa est, quae prodiit *Venetis* absque indicio anni; ignorata *Maitairio* et *Panzero*. Illius meminerunt *Benedictini Hist. litter. Gall. scriptores*, et *Remi. Ceillier*.

Editio altera luci data est *Basileae* an. 1528. fol. cura *Jo. Sichardi*; jungiturque scriptoribus ecclesiasticis aliis in *Antidoto* adversus haereses. Quae quidem collectio dici solet *prima bibliotheca patrum*.

Successit *Basileae* editio ejusdem libelli alia. Insertus nimirum est an. 1556. *Haereseologiae* fol. adornatae studio *Joannis Heroldi*. Occurrit pariter in *bibliothecis patrum* tam antiquis, quam recentioribus.

Nobis animus non est, recensere editiones singulas, quas longa serie enumerant *Benedictini Sancti Mauri*, et *Ceillier* e congregatione *Lotharingica* *Sanct. Vitonis et Hydulphi*; sed, quod magis e re fore arbitramur, eas duntaxat commemorandas putavimus, quae illustratae *notis* aut *commentariis*, paratae sunt a diversis auctoribus. Huc spectant;

1. *Lovaniensis* an. 1556. 12. *Joannis Costeri*, Can. Reg. una cum *commentariolo*; iterata saepissime, diversis locis; praesertim *Coloniae*. Quae ibidem luci exposita est an. 1569., in fronte *praefert*: *Nunc primum in capitq distincta*.

2. *Parisiensis*, *Petri Pithœi*, an. 1569.
4. cum scriptoribus ejusdem argumenti quibusdam aliis; *ibidem* recusa, sed mendis plena; ut *Baluzius* conqueritur.

3. *Duacensis, Bartholomaei Petri* 1611.
12. Consultis duobus codicibus msc.; adjunxit editor notas suas notis *Costeri*.

4. *Moguntina, Justi Calvini*, 1602. 8.
una cum *analysi*. Praemisit editor *Vincen-*
tiano opusculo *Tertullianum de praescriptio-*
nibus; *Cyprianum de unitate ecclesiae*; *Au-*
gustinum de unit. eccl. et de necess. credendi:
quibus postremo loco adjunxit *Campiani*
opuscula quaedam eristica.

5. *Parisiensis* 1613. *Joannis Fileaci*, 4.
adjectis ejusdem commentariis.

6. *Parisiensis Stephani Baluzii* 1663. Edi-
tio tertia, quam emisit, exacta est ad plu-
res codices msc. Censetur omnium optima;
iteratis typis publicata locis, temporibusque
variis.

7. *Romana* 1731. 8. quam publici juris
fecit *Joannes Salinas Can. Reg. Neapolitanus*.
Accedunt *S. Hilarii Arelat.* opuscula. Inscript-
sit Romano pontifici, *Clementi XII*.

8. *Neapolitana* 1780. 12. Adjunctus est
Tertulliani liber de *praescriptionibus*.

Neque Protestantes in edendo *Vincentii*
Commonitorio suam desiderari operam passi-
sunt. Praeter recensitas superius *Basileenses*
editiones, eo referuntur:

1. *Helmstadiensis*, quam *Georgius Calix-*
tus semel atque iterum imprimendam curavit,
una cum *Augustini* libris IV. de doctr. Christ,

addita in utrumque scriptorem satis prolixa lectu digna praefatione.

2. *Cantabrigiensis* 1687. 12. cum notis *Baluzii* et *S. Augustini* libro de haeresibus.

3. *Bremensis* 1688. 4. exacta ad textum editionis *Baluzianaæ*, cum notis variorum; adjuncto *summario* editionis *Calixtinae*; quantum attinet *Vincentium*.

*Commonitorii
translationes in linguas alias.*

Gallicanae sunt interpretationes quiaque diversae, quas refert *Ceillier* Tom. III. script. eccl. pag. 582.

a) *Parisiensis* 1561. 8. interprete *Guil. Ruzaeo*, episcopo *Andegavensi*, regi a confessionibus; repetita *Lugd.* 1570. *Paris.* 1580.

b) *Parisiensis* 1616. adornata nova versio, opera *de la Brosse*.

c) *Leodiensis* 1663. suum huc studium conferente *Bartholomaeo d' Astroq.*

d) *Parisiensis* 1684. nova translatio gallica, cum novis adnotationibus.

e) *Parisiensis* 1700. interprete *Bonneto*, presbytero Oratorii; junctus est *Salvianus* itidem gallice.

2. *Germanice* bis prodiit *Vincentius*.

a) *Ingolstadii* 1563. 12. Theodisce eum

loqui fecit *M. Sebastianus Faber*, qui
Capellanus subscribitur in fine epistolae
nuncupatoriae. Dicavit libellum *Annae*,
natae reginae *Bohem.* et *Hung.* archiduc.
Austriae, duc. *Bav.* utriusque.

b) *Bambergae* 1785. 8. ornatior; cultiorque
germanis auribus magis arridet; cu-
rante *Michaele Feder*, Theologo Wirce-
burgensi, et academicae bibliothecae
praefecto.

3. *Italice Vincentium reddidit Hieronymus*
Mutius, ediditque *Monte Regali* in reg-
no *Neapolitano* 1565. 8.

4. *Bohemice* vertit *Baltassar Osthovius*, S.
J. teste *Sotvello* Bibl. Jes. pag. 103.

5. *Anglice* 1710. 2. voll. in 8. *Londini* pub-
blicavit *Revius*; una cum *Justino*, *Tert.*,
Minucio Felice, apologetis christianaæ
religionis, itidem Anglicanum in sermo-
nem conversis.

6. Praetereunda tandem non est versio in
linguam apud *Scotos vulgarem*, quam
elaboravit *Benedictinus*, *Ninianus Vin-*
zetus: ut videre est in epistola nuncupa-
toria ad abbatem *Scotum*, praevia edi-
tioni *Pedmontanae Commonitorii Vin-*
centiani. 1743. 4.

S. VINCENTII LERINENSIS
C O M M O N I T O R I U M.

^{a)} Incipit tractatus Peregrini pro catholicae fidei antiquitate, et universitate adversus profanas omnium haereticorum novitates.

P R A E F A T I O.

Dicente scriptura, et monente b): *Interroga patres tuos, et dicent tibi, seniores tuos, et annuntiabunt tibi: et item: Verbis sapientium accomoda aurem tuam: et item: Fili mi, hos sermones ne obliviscaris; mea autem verba custodiat cor tuum: videtur mihi, mi imo omnium servorum Dei c).* Peregrino, quod

res non minimae utilitatis, Domino adjuvan-
te, futura sit; si ea, quae fideliter d) a
sanctis patribus accepi, litteris comprehendam,
infirmitati certe propriae necessaria; quippe
cum adsit in promptu; unde imbecillitas me-
moriae meae assidua lectione reperetur. Ad
quod me negotium non solum fructus ope-
ris; sed etiam consideratio temporis, et
opportunitas loci adhortatur. Tempus; prop-
terea quod, cum ab eo omnia humana ra-
piantur, et nos ex eo aliquid invicem rape-
re debemus, quod in vitam proficiat aeter-
nam, praesertim cum et e) appropinquantis
divini judicii terribilis quaedam exspectatio
augeri afflagitet studia religionis f): et novo-
rum haereticorum fraudulentia multum curae,
et attentionis indicat. Locus autem, quod
urbium frequentiam, turbasque vitantes g),
remotioris villulae, et in ea secretum mona-
sterii incolamus habitaculum; ubi absque
magna distractione fieri possit illud, quod
canitur in psalmo h): *vacate, inquit, et vi-
dete: quoniam ego sum Dominus.* Sed et
propositi nostri ratio in id convenit; quip-
pe qui, cum aliquamdiu variis, ac tristi-

bus i) secularis militiae turbinibus volvere-
mur, tandem nos in portum religionis, cunc-
tis semper fidissimum, Christo adspirante,
condidimus; ut ibi depositis vanitatis ac su-
perbiae flatibus, christianaे humilitatis sa-
crificio placantes Deum, non solum prae-
sentis vitae naufragia; sed etiam futuri se-
culi incendia vitare possimus.

Sed jam in nomine Domi i, quod in-
stat, aggrediar, ut scilicet a majoribus tra-
dita, et apud nos deposita describam, rela-
toris fide potius, quam auctoris praesump-
tione; hac tamen scribendi lege servata, ut
nequaquam omnia, sed tantum necessaria
quaeque perstringam; neque id ornato, et
exacto; sed facili, communique sermone, ut
pleraque significata potius, quam explicata
videantur. Scribant ii laute, et accurate,
qui ad hoc munus vel ingenii fiducia, vel
officii ratione ducuntur. Me vero sublevan-
dae recordationis, vel potius oblivionis meae
gratia k) *Commonitorium* mihi met parasse
sufficerit; quod tamen paulatim recolendo,
quae didici, l) emendare, et implere quoti-
die, Domino praestaute, conabor. Atque

hoc ipsum idcirco praemonui, ut, si forte elapsum nobis in manus m) sanctorum deve- nerit, nihil in eo temere reprehendant, quod adhuc videant promissa emendatione liman- dum.

*Notae in Vincentium Leri-
nensem.*

a) *Incipit tractatus Peregrini etc.* Ita, teste *Bar-
luzio*, libri msc. Editiones veteres typis excusae- hunc fere praferunt titulum: *Vincen^{tii} Lerinensis,
Galli, pro catholicae fidei antiquitate etc.* In- scriptio vera, quam *Vincentius* operi praefixisse videtur, est hujusmodi: *Commonitorium Peregri-
ni adversus haereses; veluti suboluit Costero;
placuitque Salinae.*

b) *Dicente scriptura et monente etc.* Quae initio praefationis occurrunt scripturae sacræ testimonia *Deut. XXII. 7. Prov. III. 1.* non nihil aliter se se habent in *vulgata*, qua utimur, ut conferenti li- quet.

Suppetunt in iisdem divinis litteris loca id ge- nus alia, unde conficitur, perpetuum fuisse traditio- nis usum apud Judaeos, etiam post legem scrip- tam. Huc spectant, quae leguntur *Psalm. LXXVII.
3. Patres nostri narraverunt nobis etc. 4. Non*

sunt occultata a filiis eorum, in generatione altera. 5. Quanta mandavit patribus nostris, nota facere ea filiis suis. 6. Filii, qui nascentur, et exsurgent; et narrabunt filii suis etc. Quibus junge Judic. VI. 13. Psalm. XLIII. 2. 1. Reg. XXV. 8. Eccli. VIII. 11.

- c) *Peregrina* etc. *Peregrini* velo delitescere *Vincen-*
tium Lerin., testis est *Gennadius* l.c.
- d) *A sanctis patribus accepi* etc. Non igitur doctrinam novam proponit *Vincentius*; sed avitam, hau-
stam a majoribus. Quem quidem docendi morem
Augustinus indicans, *Quod invenerunt*, inquit
Lib. I. contra *Julianum* cap. 7., *in ecclesia tenuerunt*: *quod didicerunt, docuerunt: quod a pa-*
tribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.
- e) *Appropinquantis divini iudicii* etc. Persuasum
erat patribus non paucis, novissima tempora, mun-
di finis, et diem iudicii non procul abesse. Ut
enim mittam *Barnabam*, *Hermam* et *Pseudo-*
Justinum; in illa opinione ex antiquis haeserant
Tert. de spectac. cap. 30. et 36. *Cypr.* exhort. ad
martyr. cap. 3. et alibi. *Lact.* VII. 14. et, post
nostrum *Vincentium*, ita *Grégorium M.* sensis-
se, vulgo notum est. Neino tamen ex omnibus fuit,
qui de illa persuasione tam sentiret magnifice, us-
certis sanctioris fidei dogmatis parem poneret.

f) *Et novorum haereticorum* etc. Dubium est, et controversum, quos novorum haereticorum nomine *Vincentius* intellexerit; *Nestorianos*, an orthodoxos divinae gratiae defensores, quos errare reputaverat. Illud nemo jure negaverit, esse hoc opusculum praesens valde remedium, et antidotum contra haereticorum venena; ut loquuntur *centuriatores Magdeburgenses*. Vide Proleg. §. VI.

g) *Remotioris villulae . et monasterii* etc. Quid sit de remotiore hac *villula*, in qua monasterii habitaculum incoluisse se dicit *Vincentius*, nonnulla in prolegomenis adnotavimus. §. VI. Nunc addimus, monasticum vitae genus propagatum esse ex Oriente in *Italiam et Gallias*, quarto ecclesiae seculo, et quinto ineunte. Apud *Massilienses* dux praeceipuus erat *Jo. Cassianus*; in insula *Lerinensi* sanctus *Honoratus*. Monachi tum aetatis non ligabantur solemnibus voti; sed, posito tyrocinio. spondebant simpliciter, abbati se parituros, ad *praescriptum*, aut statuta monasterii, in quo degebant. Intervenientibus causis senticis, saepe accidit, ut vel sponte abirent, vel etiam inviti dimitterentur. Unde in *Augustiniana* regula statuitur: *Delicti reus debet emendatoriam subire vindictam; quam si ferre recusaverit, etiamsi ipse non abscesserit, de vestra societate projiciatur.* Quisquis de primaevo monachorum instituto plura nosse percupit,

adeat *Cosmam Schmalfus* pag. 119. seqq. Tom. III. Hist. rel. et eccl. christ.

h) *Canitur in psalmo* etc. *Psalmo XLV. 11. Vincentiuni* codd. msc., quos vidit *Baluzius*, constanter referunt vocabulum: *Dominus*. *Vulgata: Deus*. *Ex instituto veterum monachorum decantatos fuisse psalmos*, disertius testatur *Ambrosius* ep. nunc 40. ad *Theodos.* §. 16. *Sulpitius Severus* in vita *B. Martini*: *Itaque, inquit, a monachis reliquum noctis in hymnis, psalmisque consumitur.* *Consonat Paulinus*, qui eam in rem ita canit:

-- *oculus omnis*
Turba ad consuetos, modulamina dulcia, psalmos
Advolat etc.

i) *Secularis militiae* etc. Quis verborum sensus sit, monuimus in Proleg. §. IV.

k) *Commonitorium* etc. Hoc vocabulum, quo suum librum insignivit *Vincentius*, erat vulgare tum aetatis, designabatque scriptum, quo quis ea, quae sunt sui munera, commonetur. Appellabantur eo nomine litterae, quae dabantur legatis, proficiscentibus in provincias; cuius rei exempla plura adducit *Baluzius*. Erant praeterea, qui hoc titulo exararunt libellos, quos aliis destinarunt; ut observat *Sigeber*,

tus de viris illustribus. Suppetit sane *Commonitorium*, quod *Sidonius* misit *Lupo*. Celebre pariter est *Marii Mercatoris Commonitorium* ad *Theodosium* imperatorem adv. *Pelagianos*. Quod *S. Augustinus*, teste *Fossidio* indiculi cap. 3., *Commonitorium* elucubravit, *Primario* inscriptum, in desperditis habetur. Quod barbarius nunc dicimus *Memorale*, tolerabilius illi *Commonitorium* appellarunt; quod in memoriam, quae vellemus, reduceret. Atque hac significatione id nominis sumpsit *Vincentius*; ipsemet semel, iterumque profitetur.

- 1) *Emendare* etc. Vid. quae eam in rem dicta sunt Preleg. §. XIII,
 - m) *Sanctorum* etc. i. e. *monachorum, clericorum*; ut exponit *Baluzius*. Alii, absque auctoritate codd. msc. legi volunt: *Censorum*. Quod mavult *Bahrdtius*; quoniam, quod l. c. timet *Vincentius*, sancti non temere reprehendunt. At infirmam hanc esse rationem, nemo non percipit, quicunque cogitat *Sanctos*, quo nomine veniunt fideles omnes juxta morem loquendi scripturis sacris familiarem, quamdiu versantur his in terris, positos non esse extra periculum peccandi.
-

C A P U T I.

*Generale, ac certum criterium catholicae
veritatem discernendi ab haeretica falsitate.*

Saepe igitur magno studio, et summa attentione perquirens 1) a quam plurimis, sanctitate, et doctrina praestantibus viris, quoniam modo possim certa quadam, et quasi generali 2) ac regulari via catholicae fidei veritatem ab haereticae pravitatis falsitate discernere: hujusmodi semper responsum ab omnibus fere retuli: quod sive ego, sive quis alius vellet exsurgentium haereticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, et in fide sana sanus, atque integer permanere, dupli modo munire fidem suam, Domino adjuvante, deberet; primum scilicet *divinae legis auctoritate*; tum deinde 3) *ecclesiae catholicae traditione*.

1) *A quam plurimis etc.* Indicat, unde doctrinam, quam hoc opere complexus est, hauserit; nimirum &

quam plurimis, sanctitate, et doctrina praestantibus viris. Quare in praefatione scripserat, se *re-latoris fide potius, quam auctoris prae-sumptione*, non suopte ingenio excogitata; sed a majoribus tradita, et apud se deposita proferre. Ex quo conficitur, quam fuerit alienus ab eorum instituto, qui fastidita antiqua fide, procudere novam, facere sibi nomen, et parere sectam, reformandae religionis specie, gestiunt.

- b) *Regulari via etc.* i. e. *norma recta*, quam seq. cap. *lineam* vocat propheticae, et apostolicae interpretationis. Sanctus Ambrosius post Tertullianum de praescript. cap. XXI vocitavit *Regulam*, ut advertit Augustinus Confess. VI. 4. Et tanquam regulam diligentissime commendaret, et saepe in popularibus sermonibus suis dicentem Ambrosium laetus audiebam. Eandem fidei amussim nuncupavit Faustus: *Regiam viam. Praefat. librorum de libero arbitrio.*
- 3) *Ecclesiae catholicae traditione etc.* Regiam illam viam, qua pervenitur ad veritatem divinorum dogmatum, esse praeter sacras litteras traditionem ecclesiae, agnoverunt, commendaruntque patres Vincen-tio nostro antiquiores. Irenaeus lib. III. c. 3. con queritur, haereticos neque scripturis jam, neque traditioni consentire. Capitis autem quinti, quod succedit, hoc fecit initium: *Traditione igitur, quae est ab apostolis, sic se habente in ecclesia, et permanente apud nos; revertamur ad eum, quae est ex scripturis.* Hinc perspicuo elucet, *Lugdunensem episcopum, et martyrem credidisse, genuinam hanc esse regulam, ad quam exigere opor-*

teat doctrinas patefactas divinitus. Quam porro sit necessarius traditionis usus in dijudicandis verae fidei dogmatis, docet Tertullianus: *Quid autem, inquit de praescript. cap. XXI., praedicaverint apostoli, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic praescribam, non ulter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi apostoli condiderunt, ipsi eis praeedicando, tam viva, quod ajunt, voce, quam per epistolas postea.* In eandem rem sunt verba Chrysostomi, qui locum apostoli 2. *Thes.* II. 14. explanans: *Non omnia, inquit, tradiderunt apostoli per litteras; sed multa sine scripturis: et ea quoque sunt fide digna.* Quam ob rem ecclesiae quoque traditionem censemus fide dignam. *Est traditio; nihil quaere amplius.* Non minus huc facit Augustini testimonium, qui in rebus ambiguis, aut obscuris quaestionibus eccliesiae commendavit auctoritatem, ipsismet scripturarum divinarum oraculis comprobatam. *Quisquis, inquit Lib. I. contra Cresconium cap. 33., falli metuit hujus obscuritate quoestionis* (de baptismo haereticorum), *ecclesiam de illa consulut, quam sine ulla ambiguitate sancta scriptura demonstrat.*

C A P U T II.

Diluit objectionem, petitam ex perfectione scripturae sacrae.

Hic forsitan requirat aliquis; Cum sit 1) perfectus scripturarum canon, sibique ad omnia satis, superque sufficiat; quid opus est, ut ei ecclesiasticae intelligentiae jungatur auctoritas? Quia videlicet scripturam sacram 2), pro ipsa sua altitudine, non uno, eodemque sensu universi accipiunt sed ejusdem eloquias aliter atque aliter, alias atque alias interpretatur, ut paene, quot homines sunt, tot illuc sententiae erui posse videantur. Aliter namque illam *Novatianus*, aliter *Sabellius*, aliter *Donatus* exponit; aliter *Arius*, *Eunomius*, *Macedonius*, aliter *Photinus*, *Apollinaris*, *Priscillianus*, aliter *Jovinianus*, *Pelagius*, *Coelestius*, aliter postremo *Nestorius*. Atque idcirco multum necesse est, propter tantos, tam varii erroris anfractus, ut propheticæ et apostolicae interpretationis linea, secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur.

1) *Perfectus scripturarum canon etc.* Per *prolepsin*, ut putat *Justus Calvinus*, haec enuntiassè *Vincen-*
tium, vero non est simile. *Eadem enim repetit*, et

absque ullo objectionis indicio profert, tanquam ex animi sententia cap. 41. Neque desunt ex patribus alii, quibus id ipsum probatur. *Chrysostomus Homil. III. in 2. ad Thessal.* *Omnia, inquit, clara et plana sunt in scripturis divinis. Quaecunque necessaria sunt, manifesta sunt.* Et *Augustinus lib. II. de doctr. Christ. cap. 9.* *In iis, inquit, quae aperte in scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quae continent fidem, moresque vivendi.* Sensit nimis cum *Chrysostomo*, et *Augustino Vincentius*, praecipua illa fidei, morumque capita, quae Christianis omnibus cognitu ad salutem necessaria sunt, perspicue satis evangelicis, apostolicisque scripturis comprehensa esse. Affirmandum nihilominus est, tradidisse eosdem patres, non omnia, quae a Christo didicere apostoli, ab ipsis scripto consignata esse. Eam in rem verba *Chrysostomi* et *Augustini* proxime laudavimus in notis ad cap. I. Nunc addimus in ejusdem asserti confirmationem *Eusebii* et *Epiphani* testimonia. Prior quidem lib. I. demonst. evang. scribit: *Ad imbecillitatem multorum se demittentes apostoli, partim litteris, partim sine litteris, quasi jure quodam non scripto servanda commendarunt.* Alter vero; haer. 61. ita habet: *sed et traditione quoque opus est: neque enim ex scripturis peti possunt omnia; idcirco alia scripto, traditione alia, sanctissimi apostoli reliquerunt.*

- 2) *Pro ipsa sua altitudine etc.* Reddit *Vincentius* rationem, ex qua traditionis consequatur necessitas. Esto, inquit, perfectus sit scripturarum canon, propere arbitrandum minime est, opus non esse traditione. Scriptura enim sacra, *pro ipsa sua altitu-*

dine, dum parit obscuritatem, aliter atque aliter, ab aliis atque aliis intelligi solet, et exponi, ut ad veram illius intelligentiam, seclusa traditione, pervenire vix, aut nunquam valeas; quod quidem inductione praecedentium haereticorum confirmat. Unde natum vulgare illud non minus ac vere dictum: Omnes has-
reses ortae sunt ex scripturis male intellectis.

C A P U T III.

Traditionis divinae criterium.

In ipsa item catholica ecclesia magnopere curandum est, ut *id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* Hoc est etenim vere proprieque catholicum; quod ipsa vis nomi is, ratioque declarat, quae omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet: si sequamur *universitatem, antiquitatem, consensionem.* Sequemur autem 1) *universitatem* hoc modo: si hanc unam fidem veram esse fatemnr, quam tota per orbem terrarum confitetur ecclesia; 2) *antiquitatem* vero ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos majores ac patres nostros celebrasse manifestum est: 3) *consensionem* quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium, aut certe

paene omnium sacerdotum pariter et magistrorum definitiones sententiasque sectemur.

1) *Id teneamus, quod ubique* etc. Aurea haec credendi regula, quam hoc loco tradit *Vincentius*, acceptam a majoribus, fidem veram servat, religionemque tuetur, ecclesiam munit, ejusque unitatem retinet: arcet haereses, schismata tollit, erroresque repellit, atque constituit christianos vere *catholicos*. Quae appellatio non tunc demum, id est aetate *Vincentii* nata; sed ecclesiae verae jam indita est vel ab ipsis apostolorum successoribus: cum sanctas catholicae ecclesiae mentionem jam fecerint *Smyrnaeis* in epistola de martyrio beati *Polycarpi* et *Ignatius* martyr in epistola ad *Smyrnaeos*. Qui seuti sunt patres, sanctam Dei ecclesiam communissime appellarent *catholicam*. *Id enim nomen proprium est hujus sanctae ecclesiae matris omnium nostrum*, verba sunt *Cyrilli Hieros. Catech. 18.*

2) *Universitatem* etc. Id oportet esse verum, inquit *Vincentius*, quod tota per orbem confitetur ecclesia. Unde Augustinus epistola 118. recte infert: *Disputare contra id, quod universa ecclesia sentit, insolentissimae infamiae est.* Ut enim idem sanctus doctor loquitur in libro de unitate ecclesiae cap 22. Christus testimonio suo commendat ecclesiam per orbem diffusam, cui fateris (alloquitur *Donatistam* sectae particulari addictum) *nefarium esse non credere*. Atque hac universitatis nota fatetur *Augustinus* se in ecclesiae catholicae gremio justissime teneri. „*Tenet me*, inquit cap. 4. contra epist. fundam., „*consensio populorum*, atque gentium: *tenet auctoritatem*

,,as velustate firmata. Tenet postremo ipsum catho-
,licae nomen. Apud vos autem (Manichaeos appel-
,lat) ubi nihil horum est, quod me invitet ac teneat,
,sola personat veritatis pollicitatio“ In aliis prae-
terea libris, potissimum his, quos edidit adversus
Donatistas, multus est *Augustinus* in expositione
ejusdem argumenti.

3) *Antiquitatem* etc. Veritatis notam esse antiquita-
tem dogmatum, sicut falsitatis indicium est doctrinae
novitas, tradiderunt ante *Vincentium* patres alii.
Tert. de praescrip. cap. 31. Id *dominicum et ve-*
rurn, quod est prius traditum; id autem ex-
traneum et falsum, quod est posterius immis-
sum. Quam sententiam *Tertullianus* saepe repetit
hoc ipso in libro, tum in eo adversus *Hermogenem*:
item in libro de carne Christi; nec non adv. *Mar-*
cionem lib. I.; adv. *Praxeam* lib. IV., quemad-
modum adnotavit *Pamelius*. Eodem spectat illud
sancti *Hieronymi* in epist. ad *Pammachium* et
Oceanum: *Quisquis assertor es novorum dog-*
matum, queso te, ut pareas Romanis nuribus,
parcas fidei, quae apostolico ore laudata est.
Cur post quadringentos annos docere nos nite-
ris, quod ante nescivimus? Usque in hanc diem
sitie vestra ista doctrina christianus mundus
fuit. Consonat *Augustinus* vulgato dicto
Quod universa tenet ecclesia, nec a conci-
liis institutum; sed semper retentum est,
nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissi-
mē creditur.

3) *Consensionem* etc. Conformiter verbis apostoli *Ephes.*
IV. 45. *Una fides* etc. tanquam criterium doctri-

orthodoxæ commendarunt, atque *Vincentio* præcinerunt, antiquissimus *Tertullianus* de praescrip. cap. 28. *Quod, inquit, apud omnes unum inventur, non est erratum; sed traditum.* In idem recidit illud sancti *Augustini*: *Quod universa tenet ecclesia* etc. *Cassianus* denique, consensum veritatis argumentum prædicans, scribit de incarn. Lib. I. cap. 3. advers. Nestor. *Sufficere ergo solus nunc ad confutandam haeresin deberet consensus omnium: quia indubitate veritatis manifestatio est auctoritas universorum; et perfecta ratiocacta est: ubi nemo dissensit.*

C A P U T IV.

Explicatur regula cap. praeced. tradita.

Quid igitur tunc faciet Christianus catholicus, si se aliqua ecclesiae particula ab universalis fidei communione præciderit? Quid utique, nisi ut pestifero, corruptoque membro sanitatem universi corporis anteponat? 1) Quid si novella aliqua contagio non jam portiunculam tantum, sed totam pariter ecclesiam commaculare conetur? Tunc item providebit, ut antiquitati inhaereat, quae prorsum jam non potest ab ulla novitatis fraude seduci. Quid si in ipsa vetustate duorum aut trium hominum, vel certe civitatis u ius,

aut etiam provinciae alicujus error deprehendatur? Tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati, vel inscitiae, si qua sunt, universaliter antiquitus universalis concilii decreta praeponat. Quid si tale aliquid emergat, ubi nihil hujusmodi reperiatur? Operam dabit, ut collatas inter se consulat, interrogetque sententias, eorum duntaxat, qui diversis licet temporibus et locis, in unius tamen ecclesiae catholicae communione, et fide permanentes, magistri probabiles extiterunt: et quidquid non unus, aut duo tantum; sed omnes pariter uno, eodemque consensu aperente, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat, absque ulla dubitatione credendum. Sed ut planiora fiant, quae dicimus, exemplis singillatim illustranda sunt, et paulo uberius exaggeranda, ne immodicae brevitatis studio rapiantur rerum pondera orationis celeritate.

- 1) *Si novella aliqua contagio . . . totam pariter ecclesiam commaculare conetur etc. Bene Vincentius scribit: commaculare conetur. Nunquam enim fiet, ut contagione errorum tota pariter ecclesia commaculetur. Certi quippe sumus divi is promissionibus, portas inferorum, id est, haereses, schismata atque persecutorum furias, praevalituras nunquam esse adversus ecclesiam. Matth. XVI.*
18. *Quodsi ecclesia universa errare in rebus ad fi-*

dem pertinentibus posset: quo pacto constabit Domini nostri fides, qui recepit *Math. XXVIII. 20.*, omnibus diebus ad consummationem usque seculi se adfuturum apostolis, eorumque successoribus. Quod si labuntur in errores rectae fidei oppositos hi, qui docent: necesse est eodem prolabi eos, qui discunt, vel audiunt. Quod ubi fieret, actum esset de vera Christi ecclesia; desinerentque in terris esse coetus fideliū, qui divinitus patefactas veritates profiterentur; neque enim eam religionem colerent, quam Christus condidit. Quae de firmitate ecclesiae ejusque fidē, in qua errare non potest (adeo, ut quidquid ecclesia tanquam fidei dogma tenet, verum sit, nec quidquam falsum, quod illa aut credit, aut docet esse credendum) in divino codice tradita sunt, unitis antiquissimorum patrum suffragiis affatim confirmantur. Seligamus ex multis nonnullōs: *Cyprianus cap. 5.* de unit. eccl. scribit: *Adulterari non potest ecclesia, sponsa Christi.* *Irenaeus adversus haereses* praecepit Lib. III. et V. multus est in praedicanda veritate, quam facile est ab ecclesia sumere; ut non oporteat, quaerere apud alios. *Orig. in Matth. Tom. I.* *Ex quo constituta est ecclesia in nomine Christi, ad consummationem usque perseveret.* *Tract. XXX. in Matth. Tom. II.* *Ecclesia inquit, plena est fulgore, ab oriente usque ad occidentem; quae est columna et firmamentum veritatis.* *Sanctus Alexander, episcopus Alexandrinus,* ante condemnatum in Nicuena synodo Arium scribebat, ut est apud *Gallandium Tom. IV. Bibl. Patrum:* *Agnoscimus unam, ac solam catholicam et apostolicam ecclesiam, quae semper inexpugnabilis est; licet universus orbis*

*eam oppugnet, victrix est autem omnis impiae
factionis haereticorum, qui adversus ipsam con-
surgunt. Alexandro aetate suppar Lactantius
Lib. IV. div. instit. cap. 30. eandem veritatem niti-
tidis, ut solet, verbis hunc in modum exprimit: So-
la catholica ecclesia est, quae verum cultum re-
tinet. Hic est fons veritatis, hoc domicilium
fidei. Tandem Theophilus Alexandrinns in epi-
stola ad Epiphanium, quae est inter Hieronymia-
nas epist. 67., ita scribebat: Dominus singulis
temporibus eandem ecclesiae suae gratiam largi-
tur, ut integrum corpus conservetur; et in nul-
lo haereticorum dogmatum venena preevaleant.
His ac similibus loquendi modis Patres, qui succe-
serunt, velut Ambrosius, Chrysostomus, Hie-
ronymus, Augustinus, atque alii testati sunt,
quod Catholici omnes tenent, ecclesiam Christi, uti
deficere, ita errare in rebus fidei ac morum minime
posse. Quae cum ita sint: si dicente scriptura, ac
concinente universo patrum choro, desinere in terris
ecclesia Christi usque ad consummationem mundi non
potest, neque errare in dogmate aliquo, quod ad fi-
dem aut mores pertinet: palam est, quid sit statu-
endum de haeresibus et sectis ab ecclesia catholica
sejuncti; quarum duces reformatre christianam religio-
nem, avitae fidei mutare dogmata conati sunt; qua-
si ante, ut Hieronymus loquitur, non fuissent veri
*Christiani.**

C A P U T V.

*Illustrat dicta exemplo Afrorum
tempore Donati.*

1) Tempore Donati, a quo *Donatistae*, cùm sese multa pars Africae 2) in erroris sui furias praecipitaret, cumque immemor nominis, religionis, professionis, unius hominis sacrilegam temeritatem ecclesiae Christi praeponeret: tunc quicunque per Africam constituti, profano schismate detestato, 3) universis mundi ecclesiis associati sunt, soli ex illis omnibus intra sacraria catholicae fidei salvi esse potuerunt; egregiam profecto relinquentes posteris formam, quemadmodum scilicet deinceps, bono more, unius aut certe paucorum vesaniae universorum sanitas anteferretur.

G 2

1) *Tempore Donati, a quo Donatistae etc.* Hoc schisma, „inquit *Optatus Milevitanus* Lib. I. contra *Parmenianum*, apud Carthaginem, post ordinacionem *Caeciliani*, factum esse, nemo est, qui nesciat. Hujus haeresis principem accipimus fuisse „*Donatum*, qui de *Numidia* veniens etc.“ *Augustinus* haer. 69. similiter Lib. II. in *Cresconium* cap. 1. *Donatus a Casis Nigris altare contra*

altare in eadem civitate (Carthagine) primus erexit. Ab hoc *Donato*, qui ejus schismatis et haeresis fuit origo et caput, *Donatistas appellatos*, credibilius est: quamvis sint, qui, cum S. *Hieronymo* in Chronico, a *Donate quodam*, *Charthaginiensi* episcopo, ejusdem haeresis assertore acerrimo, dictos velint.

- 2) *Multa pars Africæ etc.* Latius diffusam fuisse Donatistarum haeresin apud Afros, testatum faciunt scriptorum ecclesiasticorum antiqua monumenta. *Possidius* in vita *Augustini* cap. 7. scribit: *Usque ad tempora Augustini, rebaptizante Donuti parte maiorem multitudinem Afrorum, seducta et oppressa jacebat ecclesia Africana.* Habebant in Africa Donatistæ episcopos plurimos. Erant sane in concilio *Carthaginensi* episcopi 270. Donatistæ, teste *Aug. epist. 93.* In concilio autem *Bagajensi* praesentes erant ejusdem schismatis episcopi 310. Conf. *Noris.* Tom. III. opp. theolog. p. 207.
- 3) *Universis mundi ecclesiis etc.* Extra Africam Donatistæ habuerunt, velut perhibet *Augustinus* Lib. III. contra *Cresconium* cap. 63. unum, aut duos, ad summum tres episcopos. Vid. *Noris.* l. c. p. 435. seqq. Quare recte opposuit *Optatus* Lib. VIII. cap. 1. paucitati Donatistarum ecclesiam catholicam, quae innumerailes populos in provinciis habet universis, pravo, novoque Donatistarum dogmati palam adversantes. Quod retinendae tuendae quae veritati; falsitati autem rejiciendae, ut *Optatus* l. c. loquitur, sufficit.

C A P U T VI.

*In rem eandem adducit exemplum
Arianorum.*

Item quando *Arianorum* venenum non jam portiunculam quandam, sed 1) paene orbem totum contaminaverat adeo, ut 2) prope cunctis latini sermonis episcopis 3) partim vi, partim fraude deceptis, caligo quae-dam mentibus offunderetur, quidnam potissimum in tanta rerum confusione sequendum foret; tunc quisquis verus Christi amator et cultor exstitit, antiquam fidem novellae perfidiae praferendo, nulla contagii ipsius peste maculatus est. Cujus quidem temporis periculo satis, superque monstratum est, quantum invehatur calamitatis novelli dogmatis inductione. Tunc siquidem non solum par-vae res: sed etiam maximae labefactatae sunt. Nec enim tantum affinitates, cognationes, amicitiae, domus; verum etiam urbes, populi, provinciae, nationes, universum postremo Romanum imperium funditus concussum et emotum est. Namque cum profana ipsa *Arianorum* novitas, velut quae-dam *Bellona*, aut Furia, 4) capto primo om-nium imperatore, cuncta deinde 5) palatii culmina legibus novis subjugasset: nequa-

quam deinceps destitit, universa miscere atque vexare, privata ac publica, sacra profanaque omnia, nullum boni et veri gerere discrimen; sed quoscunque collibusset, tanquam de loco superiore percutere. Tunc temeratae conjuges, 6) depullatae viduae, profanatae virgines, monasteria demolita, disturbati clerici, verberati levitae, acti in exilium sacerdotes, oppleta sanctis ergastula, carceres, 7) metalla, quorum pars maxima, interdictis urbibus, protrusi atque extorres, interdeserta, speluncas, feras, saxa nuditate, fame, siti affecti, 8) contriti et labefacti sunt. Atque haec omnia numquid ullam aliam ob causam; nisi utique dum pro coelesti dogmate humanae superstitiones introducuntur: dum bene fundata antiquitas scelestae novitate subruitur; dum superiora instituta violantur; 9) dum rescinduntur scita patrum; dum convelluntur definita majorum; dum se se inter sacraiae atque incorruptae vetustatis castissimos limites profanae ac novellae curiositatis libido non continet?

1) *Puene orbem totum etc.* Ariani, ut Sulpicius Severus scribit Hist. Lib. II. ex consensione multorum inexpugnabiles erant. Nam omnes fere duarum Pannonicarum episcopi, multique orientalium ac tota Asia in perfidia eorum conjuraverunt.

2) *Prope cunctis latini sermonis episcopis etc.* Dabant in primis operam *Ariuni*, ut praecipuas sedes episcopales occuparent; unde facilem sibi pararent viam ad episcopatus reliquos: velut *Sozomenus* tradit III. 6. 7. Decantatum est illud *Hieronymi* in dial. adv. *Luciferianos*: *Ingemuit totus orbis*; *et se esse Arianum, miratus est.* Hanc vero locutionem esse hyberbolicam, norunt omnes, quiunque non ignorant, patres in concilio *Ariminensi*, de quo *Hieronymus* l. c. disserit, incaute quidem, formulae sibi ab *Arianis* oblatae subscrispsisse, fidei tamen *Nicaenae* constanter adhaesisse. Praeterea non fuit totus mundus in concilio *Ariminensi*; immo nec major ejus pars conclusa; neque quisquam aderat ex orientalibus. Certe sanctus *Athanasius*, biennio post calamitatem *Ariminensem*, ita ad *Jovinianum* imp. scribebat anno 363. *Tametsi pauci quidam huic fidei (Nicaenae) adversentur: praejudicium tumen facere non possunt; quippe cum orbis universus apostolicam fidem retineat.* Recenset deinde universas totius orbis ecclesias, nempe *Hispaniae* etc. etc. *Arianas* haereseos labi immunes. Consentientia his sunt, quae leguntur de *Ariannorum* paucitate apud *Basilium* ep. 251. ad *Evaesenorum* ecclesiam: *State, inquit, circumspicite orbem terrarum; et videte, exiguum esse hanc partem, quae morbo laborat; reliquam autem ecclesiam, quae a terminis usque ad terminos evangelium suscepit, in sana hac versari, et in corrupta doctrina.*

Ad ea demum, quae *Hilarius* Lib. I. contra *Auxentium* dicebat, se potius latentem ecclesiam credere, quam videre: respondit *Augustinus Vin-*

centio Donatistae ep. 93. al. 48. hunc in modum: Ecolesia aliquando obscuratur multitudine scandalorum; sed etiam tunc in suis firmissimis eminet . . . Tale tunc erat tempus, de quo scripsit Hilarius; unde putasti insidiandum; . . quasi perierit ecclesia Dei de orbe terrarum. Ostendit autem primo, illo Arianorum tempore, obscuris ipsorum verbis multos parvi sensus fuisse delusos; ut putarent, hoc credi ab Ariunis, quod etiam ipsi credebant. Quo modo deceptos fuisse patres concilii Ariminensis, certum est. Addit deinde, sanctum Hilarium nonnisi de decem Asiae provinciis fuisse locutum, quas potissimum turbavit Ariana factio. Ac demum Aug. l. c. notat, quae videntur dicta de omnibus, non esse tamen de omnibus intelligenda: *Habent enim etiam scripturae canonicae hunc agendi modum, ut tanquam omnibus dicatur, et ad quosdam verbum pertineat.* Tandem his adjiciendum est, quod luculenter S. Athanasius locis pluribus affirmit, a populi christiani parte maxima retentam fuisse orthodoxam fidem; dum episcopi non pauci factioni Arianae accesserant, sed non ex animo.

- 3) *Partim vi, partim fraude etc. Ariani, ut l. c. scribebat Sulpicius, ubi doli parum processerant, vi agere decernunt.*
- 4) *Capto primo omnium imperatore etc. Censetur is fuisse Constantius, captus Arianorum adulatio- nibus eorumque mancipium.*
- 5) *Palatii culmina etc. Intellige aulicos, quos inter eminebat Eusebius; post eum Proclus aliique,*

- 6) *Depullatae viduae etc.* Alii perperam legunt: *Despopulatae.* Erant enim, ut notat *Baluzius*, pullae vestes insignia viduarum, quibus nudabantur turpem in modum.
- 7) *Metalla etc.* Premebantur vinculis, qui ad metallum effodienda, sive, ut dicebatur, *ad opus metalli*, damnati erant. De aerumnis Christianorum, qui ea poena effecti sunt, habet egregiam epistolam sanctus *Cyprianus*, quae est LXXVII. ad *Nemesianum*, *Felicem*, et collegas episcopos.
- 8) *Contriti et labefacti sunt etc.* Sanctus *Hilarius* enumeratis his, quae *Constantius* indigne gesserat, persequens modis omnibus catholicae fidei assertores, num. 11. in imperatorem hac invectiva utitur: *Clerici*, tuo jussu, *fustibus caesi*, *diacones plumbo elisi*, et in ipsum ut sancti mecum intelligunt, in ipsum Christum manus missae. *Haec*, Constanti, si ego mentior: ovis es; si vero tu peragis; *Antichristus es.*
- 9) *Dum rescinduntur scita patrum.* Mirum est, quod recentiores *Ariani*, diebus nostris, contendunt, praelusisse antiquos patres, qui ante concilium *Nicaenum* floruerunt, *Ariano* dogmati. Quod verum si foret: eccur *Ariani*, ut errori, quem tuiti sunt, speciem veri conciliarent, ad illorum auctoritatem non provocarunt? Non provocasse, testis est sanctus *Athanasius*, qui de synodi *Nicænae* decretis, hunc in modum compellans Arianos: *Ecce*, inquit, *nos demonstravimus*, *istiusmodi sententiam* (orthodoxam de vera divinitate Filii) *a patribus ad patres*, *quibus per manus traditam esse*. *Vos autem*, o novi *Judæi et discipuli Cœphæ*, *quos*

demum assertionum vestrarum patres ostendere vuletis? Immo ne unum quidem ex prudentibus et cordatis nominare possitis. Cuncti enim vos aversantur praeter unum diabolum, qui solus hujus defectionis auctor fuit.

C A P U T VII.

Dicta confirmat auctoritate Ambrosii.

Sed forsitan odio novitatis et amore vetustatis haec fingimus. Quisquis hoc aestimat, beato saltem credat 1) *Ambrosio*, in secundo ad imperatorem *Gratianum* libro, acerbitudinem temporis ipse deplorans ait: *sed jam satis, inquit, omnipotens Deus, nostro exercito nostroque sanguine confessorum neces, exilia sacerdotum, et nefas tantaे impietatis eluimus. Satis claruit eos, qui violaverint fidem, tutos esse non posse.* Item in tertio ejusdem operis libro : 2) *Servemus igitur, inquit, praecepta majorum, nec haereditaria signacula ausi ruidis temeritate violemus. Librum signatum illum propheticum non seniores, non potestates, non angeli, non archangeli aperire ausi sunt. Soli Christo explanandi ejus praerogativa servata est. Librum sacerdotalem, quis nostrum 3) dissignare audeat, 4) signatum a confessis et multorum jam martyrio consecratum?*

*quem qui dissingnare coacti sunt, postea tamen
5) damnata fraude signarunt. Qui violare non
ausi sunt, confessores et martyres existi-
runt. Quomodo fidem eorum possumus de-
negare, 6) quorum victoriam praedicamus?
Praedicamus plane, inquam, o venerando
Ambrosi, praedicamus plane, laudantesque
miramur. Nam quis ille tam demens est,
qui eos, 7) etsi assequi non evaleat, non
exoptet sequi, quos a defensione fidei majo-
rum nulla vis depulit, non minae, non blan-
dimenta, non vita, non mors, non palatum,
non satellites, non imperator, non imperi-
um, non homines, non daemones; quos, in-
quam, pro religiosae vetustatis tenacitate
tauto munere Dominus dignos judicavit, ut
per eos prostratas restauraret ecclesias, ex-
tinctos 8) spiritales populos vivificaret, de-
jectas sacerdotum coronas reponeret, nefar-
rias illas novellae impietatis non litteras, sed
lituras infuso coelitus episcopis fidelium la-
crimarum fonte deleret, universum postre-
mo jam paene mundum, saeva repentinae hae-
reseos tempestate perculsum, ad antiquam fi-
dem a novella perfidia, ad antiquam sanita-
tem a novitatis vesania, ad antiquam lucem
a novitatis caecitate revocaret.*

1) *Ambrosio* etc. *Gratianus* imperator, profecturus
in bellum, petiit ab *Ambrosio* libellum fidei, *Me-*

dylanensis antistes voluntati imperatoris facturus sat-
tis, conserpsit opus, *de fide*, in quinque distinctum
libros, dicavitque imperatori. Plura his in libris oc-
currunt de acerbitate illorum temporum, deque *Arianorum*
tum perfidia, tum insidiis atque ausis violen-
ti quorum ipse erat testis oculatus, Arianae fac-
tionis adversarius constans et intrepidus.

2) *Servemus*, . *praecepta majorum* etc. Praecep-
ta majorum *Ambrosius* sine dubio sacrorum dogma-
tum vocat intelligentiam, et a patribus acceptum
scripturae sacrae sensum; quae mox appellat *hae-
reditaria signacula, librum sacerdotalem et sig-
natum* etc.

3) *Dissignare* etc. Quemadmodum, post *Pithoe-
um*, *Baluzio* placuit, ob fidem codd. msc. *Colbert*
et reg. Similia id genus verba barbara sunt: *dis-
bullare, discredere, discalceare* etc. Editiones aliae
habent: *resignare*, aliae: *designare*; idemque sig-
nificant, ac *dissignare*, id est *frangere, aperire,
violare, vel corrumpere* sigillum.

4) *Signatum a confessoribus* etc. *Costerus* in hunc
locum adnotat, quo significatu iste liber *signatus a
Confess.* dicatur. Constat enim, multorum marty-
rum sanguine obsignatum eum esse et consecratum.
Siquidem sanctorum confessorum sanguis, quem, ut
hunc fidei suae commissum librum, una cum vera
ejusdem intelligentia, integrum atque illæsum serva-
rent, ea, qua par est, animi constantia effuderunt,
veluti sigillum, aut signaculum quoddam, huic libro
appensum, quo contestati sunt, vera, sincera, recta.
que esse, quæ in eo continentur. *Ambrosianæ*

huic sententiae haud absimilem habet *Tertullianus Lib. IV. adversus Marcionem*: *Videamus, inquit, quid etiam Romani de proximo monent, quibus evangelium et Petrus et Paulus sanguine suo signatum reliquerunt.*

5) *Damnata fraude signarunt.* Quae sanctus *Ambrosius*, cuius haec verba sunt, paucis attigit de lapsu et resipiscientia eorum, qui seducti fraudibus in castra *Arianorum* secessisse videbantur: explicatus reddit *Sulpicius Lib. II. hist. sacr.*, enarratque curatius, quibus artibus versipelles *Ariani* egerint, ut *occidentales* episcopos, congregatos *Arimini*, casibus suis irretirent, impellerentque incautos, ad ambiguam fidei subscribendam formulam. Post ea se vertit ad id, quod proprius huc facit; disseritque de poenitentium receptione in communionem ecclesiasticam. Resert, duas fuisse ea de re sententias, inter se oppositas: alteram *Lucifori Caluritani*; alteram *Hilarii Pictaviensis*. *Lucifero cum plerisque videbatur, non esse ineundam cum his communionem, qui Ariminensem synodum recepissent;* neque communicandum cum illis, qui lapsos, etsi damnassent, quod egerant, reciperent. *Hilarius humius sensit, atque optimum factu arbitratus est, cunctos ad emendationem et poenitentiam admittere, quemadmodum frequentibus intra Gallias conciliis atque omnibus fere epistolis declaravit, in statum pristinum ecclesiarum recipiendos esse, quicunque apud Ariminum gesta condemnaverint.* Atque de his, qui, detecta fraude, resipuerunt, scribebat sanctus *Ambrosius*, *signasse eos, genuina scil. rectae fidei confessione ratum habuisse sacerdotalem librum*; quem ut supra loquebatur, *dissig-*

naverant, id est, violaverant, dolosa *Ariminensis* formula subscripta.

6) *Quorum victoriam praedicamus?* etc. Nullus paene est beatorum martyrum, qui prioribus ecclesiae seculis pro tuendis fidei christiana dogmatis, antequam extrema patarentur, veram Christi divi itatem confessi non fuerint, praedicando filii aeternitatem, omnipotentiam, ὁμοσταύ cum patre, immensitatem, cultum divinum, aliasque verae deitatis proprietates; ut perhibent acta genuina martyrum, quae edidit *Ruinartius*. Horum palmas et *victorias*, ut scribit *Ambrosius*, et confirmat *Vincentius*, suspicit ei *praedicat* ecclesia. Quid autem? nobilior illa Christianorum pars, Christi confessorum corona, selecta poti imum ex episcopis, presbyteris, diaconis, virisque doctis ac philosophis christianam religionem amplexatis, si errassent, ac pro tuendo errore fudissent sanguinem? Nonne idololatris, aut mente motis annumerandi essent? Atqui omnis retro christiana catholicaque ecclesia sanctissimos illos verae fidei athletas semper coluit, meritisque ornavit laudibus. Quaenam humanae mentis haec est perversitas, aut inconstantia, fateri, tribus prioribus ecclesiae seculis obtiisse purum melioremque christianismum: et nihilominus sentire aut asserere, fuisse eos in rebus religionem attinentibus extreme stupidos, superstitiones, idololatras? Repeti hic potest illud beati *Ambrosii*: *Nova inducuntur, quae nunquam nostri sensere majores.*

7) *Etsi assequi non evaleat* etc. *Cassianus Lib. VII.* de incarn. cap. 5. circa finem simili phrasi usus est, disserens de *Joanne Chrysostomo*, preeceptore

quondam suo: *Etsi, inquit, assequi grande est, ac difficile: sequi tamen pulchrum atque sublimem. Quoniam in summa rerum non adeptio tantum: sed etiam imitatio ipsa laudanda est.*

8) *Extinctos spiritales populos etc.* Rectius pro: *spiritales*, legendum est: *spiritaliter*; ut, teste *Baluzio*, habet codex *Colbertinus*. Etsi vero huic lectioni non suffragaretur codd. msc. auctoritas: id tamen efflagitaret idoneus, rectusque orationis sensus.

C A P U T VIII.

*Proponit exemplum confessorum,
tempore Arianorum.*

Sed in hac divina quadam 1) confessorum virtute illud est etiam nobis vel maxime considerandum, quod tunc apud ipsam ecclesiae vetustatem non partis alicujus, sed universitatis ab iis est suscepta defensio. Neque enim fas erat, ut tanti ac tales viri unus aut duorum hominum errabundas, sibique ipsis contrarias suspiciones tam magno molimine assererent, aut vero pro alicujus provinciae temeraria quadam conspiratione certarent. Sed omnium sanctae ecclesiae sacerdotum apostolicae et catholicae veritatis

haeredum 2) decreta et definita sectantes, maluerunt semetipsos, quam vetustae universitatis fidem prodere. Unde et ad tantam gloriam pervenire meruerunt, ut non solum confessores, verum etiam confessorum principes jure meritoque habeantur. Magnum hoc igitur eorundem beatorum exemplum planeque divinum et veris quibuscunque catholicis in indefessa meditatione recolendum, qui, in modum 3) septemplicis candelabri, septena sancti spiritus luce radiantes, clarissimam posteris formulam praemonstrarunt, quonam modo deinceps per singula quaeque errorum vaniloquia sacrae vetustatis auctoritate profanae novitatis conteratur audacia.

1) *Confessorum* etc. Non legi oportere: *Confessionum* etc. ut habent vulgatae editiones, probat sermonis contextus. Sequitur enim: *Ab iis est suscepta defensio*; et paulo post vocat illos *Vincen- tius tantos ac tales viros*; demum non solum confessores, verum etiam confessorum principes, id est, defensores praecipuos catholici dogmatis contra Arianos. In his eminent Athanasius, Hilarius, Eusebius; de quibus sanctus Hieronymus in dicto contra Luciferianos tunc triumphatorem suum, inquit, Athanasium Aegyptus excepit; tunc Hilarium de praelio haereticorum revertentem Galliarum ecclesia complexa est; tunc ad

reditum Eusebii (Vercellensis) lugubres vestes Italia mutavit.

- 2) *Decreta, et definita etc.* Intelligit *Vincentius ea, quae in Nicaena synodo statuta sunt; de qua beatus Ambrosius in prologo ad libros de fide ad Gratianum: De conciliis, id potissimum sequar, quod trecenti decem et octo sacerdotes, tanquam Abrahae electi judicio, consona fidei virtute videntes velut trophyeum toto orbe subactis perfidis extulerunt: ut mihi videatur, hoc esse divinum, quod eodem numero in conciliis fidei habemus oraculum, quo in historia pietatis exemplum.* Fugit neminem, qui in historia sacra non prorsus est peregrinus, spectasse hoc loco *Ambrosium* id, quod refertur Gen. XIV. de *Abrahamo*, qui coitatus turba expeditorum militum, trecentorum decein et octo, reportavit victoriam de infestis quinque regibus.
- 3) *Septemplicis candelabri etc.* Respicit *Vincentius* vel ad locum *Exodi* XV. 31. ubi de candelabro septiformi est mentio; vel ad *Apoc.* I. 13. 20.; quibus locis agitur de septem candelabris aureis. Monet christianos, veterum confessorum sequantur exempla: qui in sublimi loco collocati et expositi quasi in candelabro, omnium oculis apparerent, propensi ad imitandum: ut quemadmodum illi veri Dei divinaeque religionis sinceri cultores erant, ita ipsi antiquam majorum fidem constanter teneant, novitate felicita.

C A P U T I X.

Et rescriptum Stephani papae.

Neque hoc sane novum. Siquidem mos iste semper in ecclesia viguit, ut, quo quisque foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet. Exemplis talibus plena sunt omnia. Sed ne longum fiat, unum aliquod et hoc 1) ab apostolica potissimum sede sumemus, ut omnes luce clarius videant, 2) beatorum apostolorum beata successio quanta vi semper, quanta contentione defenderit susceptae semel religionis integritatem. Quondam igitur venerabilis memoriae 3) Agrippinus, Carthaginensis episcopus, primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis ecclesiae regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem atque instituta majorum rebaptizandum esse censebat. Quae praesumptio tantum mali invexit, ut non solum haereticis omnibus formam sacrilegii, sed etiam 4) quibusdam catholicis occasionem praebuerit erroris. Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquam versum sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur; tunc beatae memoriae papa 5) Stephanus, apostolicae sedis antistes, cum cete-

teris quidem collegis suis, sed tamen præ caeteris restitit, dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat. Denique in epistola, quae tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit: 6) *Nihil novandum, nisi quod traditum est.* Intelligebat etenim vir sanctus et prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, qua fide a patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur, nosque religionem, non qua vellemus, ducere; sed potius, qua illa duceret, sequi oportere; idque esse proprium christianaे modestiae, non sua posteris tradere; sed a majoribus accepta servare. 7) *Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique, nisi usitatus et solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas.*

H 2

1) *Ab apostolica potissimum sede etc.* Etsi ecclesiae omnes, ut *Tertullianus* scribit, *apostolicae* sint, *propterea que* merito appellari possint *cathedrae*, seu *sedes apostolicae*; velut *Sedulus Lupi Trecensem* *cathedram dixit sedem apostolicam* Lib. VI. ep. I.; peculiari tamen ratione atque per autonomiam, ab eo tempore, quo *Roma* fidem Christi amplexa est, eo nomine compellatur *Romana*, diciturque *Petri sedes*, sive *cathedra* ab antiquis; velut *Cypr. ep. 55 Hier. ep. ad Damasum, Optatus Milev, de schismate Donatist. adversus Parme-*

*nianum Lib. II. Aug. in Ps. contra partem Donati,
Prosp. in carmine de ingratis.*

Quare ceteris etiam ecclesiis eadem appellatio conveniat, exponit *Tertullianus* de *praescript.* cap. 20.
 „Apostoli, inquit, ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei, et semina doctrinae ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt, et quotidie mutuantur, ut ecclesiae fiant. Ac per hoc et ipsae apostolicue deputantur, ut soboles apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur, necesse est. Itaque tot ac tantae ecclesiae una est illa ab apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primae et omnes apostolicae; dum unam omnes probant unitatem.

2) *Beatorum apostolorum beata successio* etc. Frustra metuit sedi *Romanae Baluzius*; dum hanc *Vincentii* loquendi formulam asserit, *non esse sat accuratam*: ut enim haud est obscurum; locutio haec generalis est, neque intelligenda de sola *Romanâ cathedra*; sed de aliis etiam, quas erexerunt, tenueruntque apostoli.

3) *Agrippinus Carthag. episc. primus omnium* etc. Videtur quidem ante *Agrippinum* in eodem errore haesisse *Tertullia* qui Lib. de bapt. cap. 15. scribebat de haereticis: *Baptismum cum rite non habeant; sine dubio non habent*: communiter nihilominus prima rebaptis epocha desumitur ab *Agrippino*, sub quo *Augustinus* ait Lib. II. de bapt. cap. 7. *antiquam consuetudinem ex apostolica traditione venientem corrumpi coepisse*. Ipse etiam *Cyprianus* fatetur ep. 68. ad *Jubajanum*, se morem rebaptizandi haereticos ab *Agrippino* acce-

pissee. Mirum profecto, scriptum esse ab *Eusebío* Lib. VII. Hist. eccl. cap. 3. fuisse primum omnium *Cyprianum*, qui tunc temporis Carthaginensem regebat ecclesiam, nonnisi per baptismum ab errore prius emundatos admittendos esse censuit.

4) *Quibusdam Catholicis etc.* Ex *Cypriani* epistola ad *Quintum* discimus, non omnes quidem Africæ episcopos *Agrippini* consilio habito circa annum 217. consensisse. Non minus constat ex *Cypriani* epistolis, ad stabiliendum anabaptismi errorem plures in *Africa* actas fuisse synodos. Aequæ manifestum est, in *Asia* apud *Iconium* et *Synnada* idem dogma fuisse constitutum, teste *Dionysio Alex.* apud *Eus.* VI. 7. Controvertitur autem, utrum error manaverit ab Afris ad Asiaticos; an ab his ad illos.

5) *Papa Stephunus, apostolicae sedis antistes etc.* De pontificibus *Romanis* et sede apostolica *Vincen-*
tius data quavis occasione honorifice loquitur. Dicit
 hoc loco, viciisse *Stephanum* tuntum fidei devotio-
 ne episcopos reliquos; quantum loci auctoritate
 superabat. Conqueritur, aut indignatur Baluzius ob
 haec ipsius verba: quasi censuerit *Stephanum* cete-
 teris episcopis parem, et illi non tribuerit praerogati-
 vam aliquam praeter eam, quae petitur ex auctori-
 tate loci. Quodsi per loci auctoritatem intellexit
Vincenarius non *Romam* urbem; sed sedem *Ro-*
manam, *cathedram Petri*, sedem apostolicam.
 aut *Romanam ecclesiam*, ad quam, ut *Irenae-*
 us scribit III. 3. propter potentiores ejus princi-
 palitatem necesse est convenire omnem eccle-

siam: non est, quod queratur, aut succenseat Vincentio jure consultus Purisiensis.

6) *Nihil novandum* etc. Haec *Stephani* epistola, quam *Vincentius* in Africam missam esse dicit, responsoria erat ad litteras *Cypriani*. Misit *Cyprianus Pompejo* pontificii *rescripti exemplum*. Epistolam *Stephani* esse in deperditis, constat inter omnes; solo fortassis refragante *Costero*. Quid *Stephanus* rescripsit, colligitur ex epistola *Cyprianica* 74. ad *Pompejum*; in qua asservatur celebre illud fragmentum; quod ita se habet: *siquis ergo a quaunque haeresi venerit; nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam: cum ipsi haeretici proprie ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.* Accusari a nonnullis solet *Stephanus*; quasi haereticorum omnium, etiam eorum, qui forma in evangelio praescripta non utuntur, ratum habuerit baptismum: at non est obscurum ex adductis sanctissimi pontificis verbis, nihil aliud eum voluisse, quam sartam tectam conservare totius ecclesiae traditionem; qualis certe nunquam fuit, nec esse poterat, ut eorum agnosceretur baptismum, aut probaretur tanquam validum; quod collatum est vitiata forma. Neque aliam fuisse sententiam, testantur *Eusebius* Lib. VII. H. E. cap. 2. et 3. *Hieronymus* dial. adv. *Lucifer*. *Aug.* Lib. II. contra *Gaudentium Donatistam* cap. 8.

7) *Quis universi negotii exitus?* etc. Nemo putet, eo *Stephani* decreto *rebaptizantium* errorem max sublatum, extinctumve fuisse: Neque enim *Cyprianus*, neque *Firmilianus*, praecepit eorum duces,

leguntur ceci esse palinodiam. Immo non solum tempore *Augustini*; sed aliquot etiam post ipsius obitum seculis, in *Africa* grassati sunt *Donatistae*; qui eodem in errore perseverabant, usque ad pontificatum *Gregorii Magni*; cuius studio tandem profligatae sunt in *Africa* diuturni schismatis reliquiae; ut ostendit *Norisius* Parte II. Hist. *Donatistarum* circa finem.

C A P U T X.

Neque defuerunt errori patrocinia.

Sed forte tunc ipsi novitiae adinventioni patrocinia defuerunt? Immo vero tanta vis ingenii adfuit, 1) tanta eloquentiae flumina, tantus assertorum numerus, tanta verisimilitudo, tanta divinae legis oracula; sed plane nove et malo more intellecta, ut mihi omnis illa conspiratio nullo modo destrui potuisse videatur, nisi solam tanti moliminis causam ipsa suscepta, ipsa defensa, ipsa laudata novitatis professio destituisset. Quid postremo ipsius 2) *Africanis* concilii, sive decreti, quae vires? Donante Deo, nullae; sed universa, tanquam somnia, tanquam fabulae, tanquam superflua, 3) abolita, antiquata, cancellata sunt.

1) *Tanta eloquentiae flumina etc.* Sit *Cyprianus* instar omnium, pessimae causæ vindex eloquenti mus. Quicunque nosse percupit, quanta fuerit epis coporum multitudo, qui pro baptipandis haereticis steterunt; aut quibus potissimum argumentis sive ex ratione, sive ex sacra scriptura petitis rem tueri conati fuerint: legat ejusdem *Cypriani* epistolas, LXX. ad *Januarium* et ceteros episcopos *Numidas*: LXXI. ad *Quintum*: LXXII. ad *Stephanum* papam: LXXIII. ad *Jubajanum*: LXXIV. ad *Pompejum*. Neque est praetermittenda *Firmiliani* epistola ad *Cyprianum*, quae est inter *Cyprianicas* LXXV.

Omnes has epistolas, et quaecunque huc attinent, esse conficta, contendit *Raymundus Missorius*: at eruditis id persuadere haud potuit. Neque *Missorius* primus fuit, qui venditaret, falsa esse et commentitia, quae de concertatione inter *Stephanum* et *Cyprianum* circumferuntur. Scribit enim *Augustinus* in episi. ad *Vincentium*: *Quanquam non desint, qui hos Cyprianum prorsus non sensisse contendant.* At postea subdit: *Nos autem duas ob causas non negamus, id sensisse Cyprianum etc.*

2) *Africani concilii etc.* Quodnam illud? Recenset *Ju stellus* in Codice canonum ecclesiae *Africanae* concilia rebaptizantium: Primo quidem loco ponit *Carthaginense* sub *Agrippino* circa an. 217. vel 218. Subiungit tria *Carthaginensis* sub *Cypriana*, in quibus stabilitus est anabaptismus. Eam in rem est *Cypriani* epistola ad *Jubajanum*. De primo scribit, se referre, quid in concilio, cum plures adessemus, decre tum sit. De altero haec habet: *Et nunc quoque, cum in unum convenissemus tam provinciae*

Africae, quam Numidiae episcopi numero 71. De tertio ita loquitur: Cum in unum Carthagine convenissent episcopi plurimi, ex provincia Africa, Numidia, et Mauritania. Addit Justellus, ex conciliis Carthaginensibus celeberrimum esse illud, cui 87 episcopi interfuerunt et subscripserunt. Quorum quidem sententiae exstant apud Cyprianum, et Aug. Lib. VI. de bapt. Atque de hac synodo videtur loqui Vincentius.

g) *Abolita, antiquata etc. Supra jam monuimus, illo Stéphani decreto non fuisse impositum finem re-baptizantium errori. In dictorum confirmationem nonnulla adjungimus. Post Cypriani tempora eundem errorem plurimos adhuc tenuisse, colligitur ex conc. Arelatensi an. 314. et Carthaginensi, cui praefuit Gratus, Carthaginensis episcopus. Ut nihil dicam de Donatistarum synodo an. 308. Carthagine habita, praesentibus episcopis 270 Donatistarum parti addictis.*

C A P U T XI.

*Nec errorem quidquam juvat patrum
nonnullorm hallucinatio.*

Et o rerum mira conversio ! Auctores ejusdem opinionis catholici, consecratores vero haeretici judicantur. a) *Absolvuntur magistri: condemnantur discipuli; conscriptores*

librorum filii regni erunt: assertores vero gehenna suscipiet. Nam quis ille tam demens est, qui illud sanctorum omnium et episcoporum et martyrum lumen, beatissimum *Cyprianum* 2) cum ceteris collegis suis in aeternum dubitet regnaturum esse cum Christo? Aut quis tam contra sacrilegus, qui *Donatistas* et ceteras pestes, quae illius auctoritate concilii rebaptizare se jactitant, 3) in sempiternum neget arsuros esse cum diabolo? Quod quidem mihi divinitus videtur promulgatum esse judicium, 4) propter eorum maxime fraudulentiam, qui, cum sub alieno nomine haeresin concinnare machinentur, captant plerumque veteris cujuspiam viri scripta paulo involutius edita, quae pro ipsa sui obscuritate dogmati suo quasi congruant; ut illud, nescio quid, quocunque proferunt, neque primi, neque soli sentire videantur. Quorum ego nequitiam dupli odio dignam judico: vel eo quod haereseos venenum propinare aliis non pertimescunt; vel eo etiam, quod 5) sancti cujusque viri memoriam, tanquam sopitos jam cineres, profana manu ventilant, et quae silentio sepeliri oportebat, rediviva opione diffamant; sequentes omnino 6) vestigia auctoris sui *Cham*, qui nuditatem venerandi *Noe* non modo operire neglexit: verum quoque irridendum ceteris enuntiavit. Unde tantam laesae pietatis meruit offensam,

ut etiam posteri ipsius peccati maledictis obligarentur: beatis illius fratribus multum longeque dissimilis, qui nuditatem ipsam reverendi patris, neque suis temerare oculis, neque alienis patere voluerunt: sed aversi, ut scribitur, texerunt eum: quod est, erratum sancti viri nec approbasse, nec prodidisse; atque idcirco beata in posteros benedictione donati sunt.

- 1) *Absolvuntur magistri; condemnantur discipuli etc.* i. e. iterati baptismatis praceptores primi ac coriphæi pravi dogmatis, quos inter *Cyprianus* unus e precipuis existimatur, absolvuntur, tanquam immunes a peccato, secus statuendum de discipulis et sectatoribus, causa auctoritate ecclesiae palam asserta. Eamque rationem reddit *Augustinus* Lib. IV. de bapt. cap. 6. *Excusatur*, inquit adv. Donatistas, *Cyprianus: quia plenarium de hac re concilium nondum habuit ecclesia.* Similia his tradit sanctus doctor in eodem opere et passim alibi. Vide, quæ in argumento affini di imus in prolegomenis §. IX. de Semipelagianis.
- 2) *Cyprianum . . . regnaturum esse cum Christo etc.* In omnibus martyrologiis et canone Missae occurrit nomen beati *Cypriani*. Nonnulli, ut sanctitatem ejus vindicent, asserunt, illum resipuisse, et habitu concilio damnasse sententiam, in qua prius haeserat. Aliqua in hanc rem habet sanctus *Hieronymus* in dial. adversus Lucifer. Neque *Augustinus* erat prorsus alienus ab eadem opinione. Scribit

im ep. 103. ad *Vincentium Rogatistam de Cypriano*: Correxisse istam sententiam non inventur: non incongruentur tamen de tali viro existimatum est, quod corixerit, et fortasse suppressum sit ab eis (*Donatistis*), qui hoc errore nimium delectati sunt, et tanto velut patrocinio carere noluerunt. At aliis locis fatetur *Augustinus*, perstitisse ad mortem usque *Cyprianum* in errore, quem, praejudicijis actus, deponere nequibat. Adit vero, labem, siquam contraxit, eluisse, martyrii sanguine.

3) *In sempiternum neget ursuros etc.* Exprimit *Vincentius* hoc loco clarius de aeternitate poenarum catholicum dogma, cuius supra jam meminerat in praefatione, loquens de futuri seculi incendiis. De hoc redabit sermo infra cap. XIII.

4) *Propter eorum maxime fraudulentiam etc.* Quae inde, usque ad finem capituli, disputat *Vincentius*, censem eruditii, esse disputata adv. sectatores et discipulos sancti *Augustini*. Hos, uti contendunt, accusavit *Lerinensis* presbyter *fraudulentiae, nequitiae*: quod sub alieno (*Augustini* ementito nomine) configant haereses, ne soli aut prii i videantur esse novi dogmatis praecones; scripta involutius in erroris sui patrocinium dolose explicantes. Neque verentur, patris vita functi ventilare cineres, atque errata patefacere, *Chamo* haud absimiles: quod, quae aeterno silentio sepelienda fuerant, praesumant publicare. Fateor, obscurum esse, ad quos haec disgressio nostri scriptoris pertinet.

5) *Sancti cujusque viri memoriam . diffamant etc.* Querenti: an fas non sit sanctorum patrum propalare errata; respondendum est, eam qui-

dem divis deberi reverentiam, ut longe melior sit causa ejus, qui eosdem, fieri si potest, ab errore defendit, duriuscule dicta emollit, aut excusat. At affirmandum non minus est, ubi locum habere nequit probabilis excusatio, aut interpretatio benigna, salva, quae patti debetur, reverentia, candide satendum esse, patrem aberrasse. Veritas enim anteponenda omnibus. Hujus rei exemplum praebuit *Augustinus*, cui cum ab haeretico objiceretur testimonium *Chrysostomi*; exposuit ejusdem verba Lib. I. contra *Julianum*. / Verba graeca reddidit latine, ut luculentius ostenderet, *Chrysostomum* non sentire cum *Pelagianis*. Alii cum opponerentur, qui benignioris hermeniae beneficio cum catholico dogmate conciliari non poterant; simpliciter reposuit, eos aberrasse; eo fere modo, quo S. *Hieronymus* objectum sibi ab Helvadio *Tertulliani* testimonium, quod orthodoxum sensum non admitteret, rejectit: *De Tertulliano*. inquit, *nihil amplius dico, quam ecclesiae hominem non fuisse*.

- 6) *Vestigia auctoris sui Cham* etc. Patrum contemptores dici imitatores *Chami*, notum est inter eruditos. Ab istiusmodi certe nuncupatione sibi timuit *Daniel Whitby* in praefat. *de scripturarum interpretatione secundum patres*. Aequo exploratum est, ex acatholicis multos esse, qui patres contemnunt. Utinam numerare et nos non possemus in pelago nostro hujusmodi naufragia. Non una tamen omnium ratio est, qua inducti patribus bellum indicant. Sunt, quos incitat ambitio et gloria nomi Labore improbo exutiunt antiquorum patrum scripta, non discendi, sed cavillandi gratia. Venantur errorum monstra: ubi non inveniant, fingunt, affinguntque

patribus. Objiciunt imperitiam in profanis artibus et scientiis. Dicunt declamatores ineptos, ignaros criticae, physicae imperitos, et parum in logicae usu accuratos, hospites in astronomiae et geographiae studiis. Largiamur haec et id genus alia. Utinam cogitarent censorini hi heroes, in patribus spectare potissimum oportere id, quod in illis est praecipuum, videlicet divinorum dogmatum peritiam. In hac scientia excelluerunt. Huc convertant virgulam novi Catones; siquid possunt. Alii non tam famae captandae gratia, quam ut novellis dogmatis, quibus patres adversantes habent, velificantur, illos in exponendis scripturis atque divinarum legum scientia aberrasse pronuntiant, ut liberius id, quod volunt, nulla traditi is habita ratione, praedicent. Adducere exempla in confirmationem eorum, quae hucusque dicta sunt, facile quidem foret; at in re evidente supervacaneum; neque hujus instituti.

C A P U T XII.

Testimoniis S. Pauli ostendit, nihil esse in fide innovandum.

Magno igitur metu nobis immutatae fidei ac temeratae religionis piaculum pertinendum est: a quo nos non solum constitutionis ecclesiasticae disciplina; sed etiam censura apostolicae deterret auctoritatis. Sci-

tum enim cunctis est, quam graviter, quam severe, quam vehementer invehatur in quosdam apostolus *Paulus* (*Gal. I. 6. 7.*) qui mira levitate nimium cito translati fuerant ab eo, qui eos vocaverat in gratiam *Christi*, in aliud evangelium, 1) quod non est aliud. Qui (*2. Tim. IV. 3. 4.*) coacervarant sibi magistros ad sua desideria; a veritate quidem auditum avertentes; conversi vero ad fabulas. (*1. Tim. V. 12.*) *Habentes damnationem, 2) quod primam fidem irritam fecissent.* Quos deceperant ii, de quibus ad *Romanos fratres* scribit idem apostolus (*Rom. XVI. 17. 18.*) *Rogo autem vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula praeter doctrinam, quam ipsi didicistis, faciunt, et declinate ab illis. Hujusmodi enim Christo Domino non serviunt; sed suo ventri: et per dulces sermones, et benedictiones seducunt corda innocentium.* Qui (*2. Tim. III. 6. 7.*) intrant per domos, et captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quae ducuntur variis desideriis, semper discentes, et ad scientiam veritatis nunquam pervenientes. (*Ad Titum I. 10. 11.*) *Vaniloqui et seductores, qui universas domos subvertunt, docentes, quae non oportet, turpis lucri gratia.* (*2. Tim. III. 8.*) *Homines, corrupti mente, reprobi circa fidem.* (*1. Tim. VI. 4. 5.*) *Superbi et nihil scientes, sed languentes circa quaestiones et pugnas verborum.* (*1. Tim. VI. 5.*)

*Qui veritate privati sunt, existimantes, quae-
stum esse pietatem. (1. Tim. V. 13.) Simul
autem et otiosi discunt, circumire domos; non
solum autem otiosi; sed et verbosi et curiosi
loquentes, quae non oportet. (1. Tim. I. 19.)
Qui bonam conscientiam repellentes, circa si-
dem naufragaverunt. (2. Tim. II. 16. 17.) Quo-
rum profana vaniloquia multum proficiunt ad
impietatem; et sermo eorum, ut cancer, serpit.
Bene autem quod de iis item scribitur: (2. Tim.
9.) Sed ultra non proficient: insipientia enim
eorum manifesta erit omnibus; sicut et illorum
fuit. Cum ergo tales quidam, circumeuntes
provincias et civitates atque errores venali-
tios circumferendo, etiam ad Galatas deve-
nissent: cumque his auditis Galatae, nausea
quadam affecti, apostolicae catholicaeque
doctrinae manna 3) removentes, 4) haereti-
cae novitatis sordibus oblectarentur: ita se
apostolicae potestatis exseruit auctoritas, ut
summa cum severitate decerneret: 5) sed li-
cet nos, inquit, (Gal. I. 8.) aut angelus de
coelo evangelizet vobis, praeterquam quod
evangelizavimus vobis, anathema sit. Quid
est, quod ait: *Sed licet nos?* Cur non poli-
us: *Sed licet ego?* Hoc est: Etiamsi Petrus,
etiamsi Andreas, etiamsi Joannes, etiamsi
postremo omnis apostolorum chorus evangeli-
zet vobis, praeterquam evangelizavimus; ana-
thema sit. Tremenda districtio propter asse-*

rendam primae fidei tenacitatem! Nec sibi, nec ceteris apostolis pepercisse parum est. *Etiamsi angelus, inquit, de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus; anathema sit.* Non sufficerat ad custodiam traditae semel fidei humanae conditionis commemorasse naturam: nisi angelicam quoque excellentiam comprehendisset: *Nisi nos, inquit, aut angelus de coelo etc.* Non quia sancti coelitesque angeli peccare jam possint; sed hoc est, quod dicit: Si etiam, inquit, fit, quod non potest fieri: quisquis ille traditam semel fidem mutare tentaverit; *anathema sit!*

1) *Quod non est aliud.* Id est, praeter unum verumque evangelium, inquit *Pauulus*, a me praedicatum, nullam est aliud; sed facta et fucata omnis alia doctrina, quae cum ea, quam ego vobis annuntiavi, non concordat. *Erasmus* vult, τὸ aliud abundare; refragante textu graeco, qui τὸ ἄλλο constanter exhibet. Alii haec verba: *Quod non est aliud*, trahunt ad ea, quae sequuntur, ut sensus sit: *Quod non est aliud; nisi sunt aliqui, qui vos conturbant etc.*, ut legitur vers. 7. Parum quidem refert, quamcunque lectionem aut interpretationem elegeris; dum mens et doctrina apostoli semper sibi constat, ac illaesa manet.

2) *Quod primam fidem irritum fecissent etc.* Non una est patrum, et interpretationi recentiorum hujus loci exegesis. Contensis *Vincentius* his, qui putant, ab apostolo iis verbis notari ejus generis quas-

dam viduas, quarum conditionem miseram ostendit esse ac damnabilem; quod fidei professionem in baptismō editam rejecerint; novis adoptatis dogmatis, a recta fide deviantes.

- 3) *Removentes* etc. Mallem: *Renuentes*; quae vox magis congruit cum praecedente vocabulo: *nausea*. Sed conjectura est, sine codice.
- 4) *Haereticae novitatis sordibus* etc. Erant pseudo-apostoli, qui tempore *Pauli* aliud, novumque evangelium apud *Galatas* invehere adnisi sunt, praedicantes, conjungendam esse christianam religionem cum judaica; servandamque circumcisionem cum baptismo: a qua doctrina dehortans apostolus scribebat: *Gal. V. 2. Si circumcidamini: Christus vobis nihil proderit.*
- 5) *Sed licet nos aut angelus de coelo* etc. *Tertullianus* eodem testimonio usus est de *Praescript.* cap. 6. Postquam dixerat: *Apostolos Domini habemus auctores; qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus assignarunt; subjicit: Itaque etiamsi angelus de coelo aliter evangelizaret, anathema dicetur a nobis.* Idem fere repetit cap. 29. ad finem. Quam *Vincentius* sententiae *Paulinae*: *sed licet angelus de coelo* etc. reddidit expositionem, indicans, esse dictum hyperbolicum, aut similius argumento, quod ducitur ab impossibili, magna consensione probant melioris notae interpretes quinque, ali i a veterum nonnullorum persuasione falsa, qui opinati sunt, angelicos spiritus sanctitate ac beatitudine, qua fruuntur, posse excidere, labi in peccatum, aliudque, id

est, mendax evangelium nuntiare hominibus. Adstipulatur inter recentiores absone id genus asserto *Hugo Grotius ad h. l.* Verum cum antiquis probatisque patribus tenet ecclesia, angelos in coelo, qui in rectitudine primaeva perseverarunt immoti et constantes, esse positos extra periculum peccandi, securos, et absque metu amittendi beatitatem, qua fruuntur, in gratia divina confirmati.

C A P U T XIII.

*S. Pauli verba Gal. I. vindicat ab
objectionibus.*

Sed haec forsitan perfunctorie praelocutus est, et 1) humano potius effudit impletu, quam divina ratione decrevit. Absit. Sequitur enim, et hoc ipsum ingenti molimine iteratae insinuationis inculcat: *Siquis vobis evangelizaverit, praeterquam quod accepistis, anathema sit.* Non dixit: *Siquis vobis annuntiaverit, praeterquam quod accepistis, benedictus sit, laudetur, recipiatur; sed anathema sit,* inquit, id est, separatus, segregatus, exclusus; ne unius ovis dirum contagium innoxium gregem Christi venenata commixtione contaminet. Sed forsitan *Galatis* tantum praecepta sunt. Ergo et illa solis *Galatis*

imperata sunt, quae in ejusdem epistolae sequentibus commemorantur, qualia sunt haec: *Si vivimus spiritu; spiritu et ambulemus. Non efficiamur inanis gloriae cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes; et reliqua. Quodsi absurdum est; et omnibus ex aequo imperata sunt; restat, ut, sicut haec morum mandata; ita etiam illa, 2) quae de fide cauta sunt, omnes pari modo comprehendant.*

1) *Humano potius impetu etc.* Praeclara adversus hujusmodi objectionem responsio est *Tertulliani*, qui temere conceptam oppositionem his verbis rejicit: *Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt.* His mox adjunxit verba *Pauli*: *Etiamsi angelus de coelis etc.* Addit, jam tunc *spiritum sanctum praevi-disse*, fore in *Philumene angelum seductionis, transfigurantem se in angelum lucis*; cuius praestigiis *Apelles inductus, novam haeresin induxit.* Quodsi, ut fert. relata a *Vincentio* adversariorum objectio, canonicarum scripturarum auctores locuti sunt *humano impetu*: actum est de omni auctoritate divinarum litterarum; nullumque erit dogma fidei, utut perspicuo traditum in codice veteris aut novi testamenti: utut *sancutum*, et ab omni retro antiquitate ecclesiastica venerabile, quod eludi eadem bibliomachorum exceptione arbitrarie conficta non possit. In hos convenit vulgatum illud *Augustini* adversus *Manichaeos*: *Quae sunt in evangolio, cum alia*

creditis, alia non creditis: vobis potius, quam evangelio creditis. Non potest, inquit Cyprianus in Tractatu de lapsis, evangelium in parte naturae, et in parte consistere.

2) *Quae de fide cauta sunt etc.* Videntur tum aetatis fuisse, qui sentirent, aut crederent, duntaxat praecepta morum servanda esse, neque pertinere ad salutem praecepta fidei; eo fere modo, quo diebus nostris non paucos est reperire, qui cum Christianismum practicum unice jactitant, contendunt, ad obtinendam beatam ac immortalem vitam, satis esse bene agere; quin sit necessarium recte credere; quos refellens *Vincentius*, ex contextu verborum *Pauli*, palam ostendit, apostolum l. c. praeter morales leges inculcasse praecepta fidei, non minus ad salutem necessari'

C A P U T XIV.

Continuatio ejusdem argumenti.

Et sicut nemini licet, invicem provocare aut invidere invicem: ita nemini liceat, praeter id, quod ecclesia catholica usque quaque evangelizat, accipere. Aut forsitan tunc jubebatur, si quis annuntiasset, 1) praeterquam quod annuntiatum fuerat, anathematizari; nunc vero jam non jubetur. Ergo

et illud, quod item ibi ait: *Dico autem, spiritu ambulate; et desiderium carnis non perficietis*, tunc tantum jubebatur; modo vero jam non jubetur. Quodsi impium pariter et perniciosum est, ita credere: necessario sequitur, ut, sicut haec cunctis aetatibus observanda sunt; ita illa quoque, quae 2) de non mutanda fide sancita sunt, cunctis aetatibus imperata sint. Annuntiare ergo aliquid christiani catholicis praeter id, quod acceperunt, nunquam licuit, nunquam licet, nunquam licebit; et anathematizare eos, qui annuntiant aliquid, praeterquam quod semel acceptum est, nunquam non oportuit, nunquam non oportet, nunquam non oportebit. Quae cum ita sint: estne aliquis vel tantae audaciae, qui praeter id, quod apud ecclesiam annuntiatum est, annuntiet; vel tantae levitatis, qui praeter id, quod ab ecclesia accepit, accipiat? Clamat, et repetendo clamat, et omnibus et semper et ubique: per litteras suas clamat ille; ille vas electionis, ille magister gentium, ille apostolorum tuba, ille terrarum praeco, ille coelorum conscius, ut, si quis novum dogma annuntiaverit, anathematizetur. Et contra reclamant 3) *ranae quaedam et cyniphes et muscae mortuiae*, 4) quales sunt *Pelagiani*; et hoc catholicis: Nobis, inquiunt, auctoribus, nobis principibus, nobis expositoribus, damnate,

quae tenebatis : tenete, quae damnabatis : rejicite antiquam fidem, paterna instituta, majorum deposita ; et recipite : quaenam illa tandem ? Horreo dicere : Sunt enim tam superba, ut mihi non modo affirmari; sed ne refelli quidem sine aliquo piaculo posse videantur.

- 1) *Praeterquam quod annuntiatum fuerat etc.* Praepositionem $\pi\alpha\rho\pi\alpha$ *praeter*, quae habetur in greco, Gal. I. 8. multiplicis esse significationis, notum est sermonis graeci non ignaris. Hoc loco idem significare, ac *contra*, communior est probandaque interpretum sententia. Sensus vero est: si quis evangelium novum vobis annuntiaverit, sive doctrinam aliam attulerit, contrariam illi, quam ego (*Paulus*) vobis tradidi; culpae gravioris reus est, et anathemate dignus. Unde colliges, dictum *Pauli* simile esse his, quae habet sanctus *Joannes* in fine Apocalypses: *Siquis apposuerit ad haec etc.* Item: *Siquis diminuerit de verbis libri prophetiae hujus etc.* Quibus quidem phrasibus solum vetari, aut excludi doctrinam propheticis visionibus contrariam, nemo rerum intelligens dubitabit.
- 2) *De non mutanda fide etc.* Praeclare in eam rem loquitur *Tertullianus* cap. X. de praescript. *Quae rendum est*, inquit, *quod Christus instituit*; *utique quamdiu non invenis*: *et utique donec invenias*. *Invenisti autem*; *cum credidisti*: *nam non credidisses*: *si non invenisses*; *sicut nec quaesisses*, nisi ut *invenires*. *Ad hoc ergo quaeris*, *ut invenias*; *et ad hoc invenies*, *ut credas*. *Omnem prolationem quaerendi et in-*

veniendi, credendo fixisti. Hanc si fossam determinavit ipse, qui te non vult aliud credere, quam quod instituit; non itaque in fide locum habere potest vicissitudo dogmatum, aut doctrinae a Christo revelatae mutatio aliqua.

3) *Ranue quaedam, cyniphes et muscae moriturae etc.* Hisce nomi ibus compellat haereticos, respicitque plagas Aepyptiacas. *Muscas vero morituras dicit, secundum illud Eccle. X. 1. Muscae morientes perdunt savitatem odoris;* id est, corrumunt foetore suo unguentum optimum; sicut haeretici, velut *Lerinensis* vult, veritatem doctrinae saluberrimae falsis dogmatis depravant.

4) *Quales sunt Pelagiani.* Adducit *Vincentius Pelagianorum exemplum*, qui, quod vetat Apostolus, annuntiarunt praeter id, quod apud ecclesiam annuntiatum est. Est autem manifestum, evangelicae apostolicaeque doctrinae oppositos errores tenuisse *Pelagianos*. Quam in reīn, figura, quam *mimesin* vocant, usūs, *Pelagianos* ita loquentes inducit; *Damnate (ad Catholicos sermo est) que tenebatis: rejicite antiquam fidem, paterna instituta et deposita majorum.* Unde luce clarius est, quid hisce vocabulis: *prueter id etc.* intellexerit *Vincentius* ad mentem *Pauli.*

C A P U T X V.

Reddit rationem, cur Deus permit-tat, turbari ecclesiam novis doctrinis.

Sed dicet aliquis: Cur ergo persaepe di-vinitus sinuntur excellentes quaedam perso-nae in ecclesia constitutae res novas catho-licis annuntiare. Recta interrogatio et digna, quae diligentius atque uberior pertractetur: cui tamen non ingenio proprio; sed divinae legis auctoritate, ecclesiastici magisterii docu-mento, satisfaciendum est. Audiamus ergo sanctum Moysen: et ipse nos doceat, cur docti viri, et qui propter scientiae gratiam 1) ab apostolo etiam prophetae nuncupantur, proferre interdum permittantur nova dogma-ta, quae vetus testamentum 2) allegorico sermone *deos alienos* appellare consuevit; eo quod scilicet ita ab haereticis ipsorum opi-niones, sicut a gentibus dii illi observentur. Scribit ergo in *Deuteronomio* (XIII. 1. seq.) beatus Moyses: *si surrexerit, inquit, in me-dio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat*, id est, magister in ecclesia constitu-tus, quem discipuli, vel auditores sui ex ali-qua revelatione docere arbitrentur. Quid de-

inde? *Et praedixerit*, inquit, *signum atque portentum*; et evenerit, quod locutus est. Magnus profecto, nescio quis, signatur magister et tantae scientiae, qui sectatoribus propriis non solum, quae humana sunt, nosse; verum etiam quae supra hominem sunt, prae-noscere posse videatur; quales fere discipuli sui jactitant, fuisse 3) *Valentinum*, *Donatum*, *Photinum*, *Apollinarem* ceterosque ejusmodi. Quid postea? *Et dixerit*, inquit, *tibi*: *Eamus*, et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus iis. Qui sunt *dii alieni*, nisi errores extranei, quos ignorabas, id est, novi et inauditi? *Et serviamus eis*, id est, credamus eis, sequamur eos. Quid ad extremum? *Non audies*, inquit, *verba prophetae illius aut somniatoris*. Et quare, oro te, 4) a Deo non prohibetur doceri, quod a Deo prohibetur audiri? 5) *Quia*, inquit, *tentat vos Dominus vester*; ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde et in tota anima vestra. Luce clarius aperta causa est, cur interdum divina prōvidentia quosdam ecclesiarum magistros nova quaedam dogmata praedicare patiatur. *Ut tentet vos*, inquit, *Dominus Deus vester*. Et profecto magna tentatio est: cum ille, quem tu prophetam, quem prophetarum discipulum, quem doctorem et assertorem veritatis putas, quem summa veneratione et amore complexus sis; is

subito latenter noxios subinducat errores , quos nec cito deprehendere valeas ; dum antiqui magisterii duceris puaejudicio ; nec facile damnare fas ducas , dum magistri veteris praepediris affectu.

1) *Ab apostolo etiam prophetae nuncupantur etc.*

Vocabulum *prophetae* multiplicis significationis est in sacris litteris ; velut in institutionibus traditur theologicis. Ab apostolo *prophetae* nomen crebro accipitur pro interprete divini verbi ; maxime in epistolis ad *Corinthios* et *Ephesios*. Hoc autem loco (*Deut. XIII. 1. seq.*), quem *Vincentius* exponendum sibi sumpsit , denotat doctorem falsum es spurium prophetam , qui quidem prava dogmata adulterinis miraculis corroborare , sibique fidem conciliare adnitatur. adnitatur. Quodsi evenierit , quod praedixit : tribendum id est vel naturali praevisioni , vel adscribendum casui : minime vero divinae virtuti : siquidem doctrina , quam venditat , opposita est coelestibus documentis de cultu unius Dei.

2) *Allegorico sermone deos alienos etc.* Culpandus non est *Vincentius* , quod sensu *allegorico* utatur ad rem , in qua versatur , declarandam. Praeter sensum *litteralem* , qui est praecipuus , ceterisque anteponendus , negligendam non esse expositionem mysticam , dubitabit nemo , quicunque cogitaverit , ab ipsismet theopneustris scriptoribus istud interpretandi genus fuisse adhibitum. *Generatim* uti largiendum est , quod norunt , qui studiis theologicis navant operam , solidum duci non posse argumentum ex allegoriis ad probanda fidei dogmata : ita inficias ire fas

non est, utilem, ac fructuosum esse sensum allegoricum, praecipue si commonendus est populus ad officia pietatis. Curandum solummodo, ne usus sit immodicus aut applicationes contortae. Quo sensu *Augustinus* allegorici sensus usum probarit, ipse declarat tum ep. 93. ad *Vincentium* cap. 8. tum lib. XVII. de civ. Dei cap 3. *Mihi*, inquit, *sicut multum videntur errare*, qui *nullas res gestas in eo genere litterarum aliquid aliud praeter id, quod eo modo gestae sunt, significare arbitrantur*: ita multum audere, qui prorsus sibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt etc. Cetera, quae subdit *Aug.*, lectu pariter non sunt indigna.

3) *Valentinum* etc, a quo *Valentiniana* haeresis cognomen habet, fuisse gente *Aegyptium*, facile convenit inter veteres, qui illius meminerunt. Notus is est potissimum, a *pleromate* et multitudine *Aeonum*, quos confinxit. Spe dejectus obtinendi episcopatus, dogmata sua latius propagare, etiam *Romae*, ubi aliquamdiu morabatur, adnitus, ab ecclesia catholicae communione iterum iterumque separatus, peculiarem coetum congregare perrexit. Scripsit *psalmos*, *epistolas* et *homilias*. Particulas quasdam elucubrationum ejus, quae perierunt, recitat *Clemens Alexandrinus Stromatum* lib. II. IV. VI. Incerta sunt, quae de anno ejus emortuali feruntur. Illud certum, ante finem seculi II. vivere desiisse. Ex antiquis, qui de *Valentino* et ejus secta egerunt, eminent *Irenaeus* et *Tertullianus*; hos secuti sunt *Eusebius*, *Philastrius*, *Epiphanius*, *Augustinus*, *Theodoreetus*, *Isidorus*; unde sua hauserunt resoniores.

- 4) *Non prohibetur docere etc.* Docere quidem permittitur, neque impeditur: attamen prohibetur; quod ex subjecta poena colligas. Nam vers. 5. subditur: *Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur: quia locutus est, ut vos averteret a Domino Deo vestro.* Neque aliter intellexit, aut intelligendus est. *Vincentius*, qui paulo post quaerebat: *Cur divina providentia nova dogmata praedicare patiatur, id est, sinat, permittat, non impediatur.*
- 5) *Quia tentat vos Dominus etc.* Dogmata *Valentini*, de quo supra mentionem fecit *Vincentius*, tam erant paradoxa, rectaeque rationi, primo mox obtutu, adeo repugnantia, ut homi i., cui sanum es-
set synciput, probari aut arridere minime possent. Ne-
que *Tertullianus*, qui adversus *Valentinianos* li-
brum exaravit, illorum commenta ac delirantis phan-
tasiae fabulas seria refutatione dignas reputavit; sed
jocis usus est, et satyrico sale fanaticos exceptit.
Quam ob rem mirari subit, recentiori demum aetate,
qua secta illa prorsus obsolevit, operosam adversus
Valentini sectatores refutationem edidisse *Natalem*
Alexandrum Hist. eccles. sec. II. diss. 15. Per-
contanti autem, quo pacto evenerit, ut illa deli-
ramenta placerent, multique inducerentur in *tenta-
tionem*: respondemus cum nostro *Vincentio*, jacta-
ta tum fuisse *motiva* quaedam externa, quibus de-
ipserentur incauti. Fingebant quippe fuisse *Valen-
tinum* spiritu propheticō praeditum, qui res contin-
genter futuras praenuntiaret; aut, ut verbis *Vincen-
tii* nostri utamur, jactitabant *Valentinum*, tanquam
hominem a Deo afflatum, qui ea *prae nosceret*, quae
supra hominem sunt.

C A P U T XVI.

Illustrat illud Deut. XIII. inductione exemplorum ex Hist. eccl.

Hic forsitan afflagitet aliquis, ut ea, quae sancti Moysis verbis asserta sunt, ecclesiasticis aliquibus demonstrentur exemplis. Aequa expositi ; nec diu differenda. Nam, ut a proximis et manifestis incipiam, qualem fuisse nuper tentationem putamus; cum 1) infelix ille *Nestorius*, subito ex ove conversus in lupum, gregem Christi lacerare coepisset, cum eum hi ipsi, qui rodebantur ex magna adhuc parte, ovem crederent; ideoque morsibus suis magis patarent? Nam quis eum facile errare arbitretur, quem 2) tanto imperii judicio electum, tanto sacerdotum studio prosecutum viderent; qui, cum magno sanctorum amore, summo populi favore celebraretur, quotidie palam divina tractabat eloquia, et noxios quosque Judaeorum et gentilium confutabat errores? Quo tandem iste modo non cuivis fidem faceret, se vera docere, recta praedicare, recta sentire, qui, 3) ut uni haeresi suae aditum patet, faceret, 4) cunctarum haereseon blasphemias insectabatur? Sed hoc erat illud, quod *Moses* ait: *Tentat vos Dominus Deus vester: si diligatis eum; an non.* Et ut *Nestorium* prae-

tereamus, in quo 5) plus semper admiratio-
nis, quam utilitatis, plus famae, quam ex-
perientiae fuit; quem opinione vulgi ali-
quamdiu magnum humana magis gratia fa-
ceret, quam divina: eos potius commemo-
rus, qui multis profectibus multaque in-
dustria praediti, non parvae tentationi catho-
licis hominibus extiterunt; velut apud *Panno-*
nias, 6) majorum memoria, *Photinus* ecclesi-
am *Sirmitanam* tentasse memoratur; ubi
cum omnium favore in sacerdotium fuisset
adscitus, et aliquamdiu tanquam catholicus
administraret; subito sicut malus ille prophe-
ta aut somniator, quem *Moyses* significat,
creditam sibi plebem Dei persuadere coepit,
ut sequeretur deos alienos, id est, errores
extraneos, quos antea nesciebat. Sed hoc
usitatum. Illud vero perniciosum, quod ad
tantum nefas non mediocribus adminiculis
utebatur. Nam erat et ingenii viribus valens,
et doctrinae opibus excellens, et eloquio
praepotens; quippe qui utroque sermone co-
pioso et graviter disputaret et scriberet; quod
7) monumentis librorum suorum manifestatur,
quos idem partim graeco, partim latino ser-
mone composuit. Sed bene, quod commis-
sae ipsi oves Christi, multum pro catholica
fide vigilantes, et cautae, cito ad praemo-
nentis *Moysis* exempla respèxerant, et pro-
phetae ac pastoris sui licet admirarentur elo-

quentiam, temptationem tamen non ignorarunt. Nam, quem antea, quasi arietem gregis, sequebantur, eundem deinceps veluti lupum fugere coeperunt. Neque solum *Photini*, 8) sed etiam *Apollinaris* exemplo, istius ecclesiasticae temptationis periculum discimus, et simul ad observandæ diligentius fidei custodiam commone-
mur. Etenim ipse auditoribus 9) magnos aestus et magnas generavit angustias; quippe cum eos huc ecclesiae traheret auctoritas, huc magistri retraheret consuetudo: cumque inter utraque nutabundi et fluctuantes, quid potius sibi eligendum foret, non expendunt. Sed forsitan ejusmodi ille vir erat, qui dignus esset, facile contemni. Immo vero tantus ac talis, cui nimium cito in plurimis crederetur. Nam quid illo praestantius acumine, exercitatione, doctrina? Quam multas ille haereses 10) multis voluminibus oppresserit; quot inimicos fidei confutaverit errores, indicio est opus illud triginta non minus librorum, nobilissimum ac maximum, quo 11) insanias *Porphyrii* calumnias magna probationum mole confudit: longum est, universa ipsius opera commemorare, quibus profecto summis aedificatoribus ecclesiae par esse potuisset: nisi profana illa haereticae curiositatis libidine novum, nescio quid, advenisset, quo et cunctos labores suos, velut cujusdam admixtione lepræ foedaret et committeret, ut doctri-

na ejus non tam aedificati , quam tentatio potius ecclesiastica diceretur. Hic a me forsitan depositatur, ut horum, quos supra commemoravi, haereses exponam; *Nestorii* scilicet, *Apollinaris et Photini*. Hoc quidem ad rem, de qua nunc agimus , non attinet. Propositum etenim nobis est, non singulorum errores persequi; sed paucorum exempla proferre, quibus evidenter ac perspicuo demonstretur illud, quod *Moyses* ait: quia scilicet , si quando ecclesiasticus aliquis magister, et ipse interpretandis prophetarum mysteriis propheta , novi quiddam in ecclesiam Dei tentet inducere, ad tentationem id nostram fieri , providentia divina patiatur.

1) *Infelix ille Nestorius etc.* Praeterito *Valentino*, *Donato*, aliisque antiquioribus , qui nova dogmata disseminarunt, quibus perverterent veram et avitam fidem; orditur *Vincentius a Nestorio*. cuius exemplum recentis erat memoriae, ac in ore omnium versabatur. Vocat eum *infelicem*; quia gradu dejectus, sejunctus a coetu fidelium, ac sede sua pulsus , exulis vitam agebat.

2) *Tanto imperii judicio etc.* Post mortem *Sisini*, quem admodum *Socrates* refert VII. 26., ad reprimendum ambitum placuit imperatori vocare externum: praeterito C. P. clero . . Cun duo, inquit, C. P. presbyteri episcopatum ambirent: *Theodosius II. Antiochenum presbyterum, Nestorium, commendatum*

sibi facundi in dicendo, aliisque dotibus, extraneum vocavit; fortassis spe lactatus, fore, ut alterum *Chrysostomum* inde nanciceretur.

- 3) *Ut uni haeresi suae aditum etc.* Hoc dictum *Walchius* Tom. V. haereseol. pag. 329. tanquam *iridignum theologo*, non reprehendisset; si cogitas. set, *Vincentium* hoc loco historicum potius agere, quam theologum.
- 4) *Cunctarum haereseon etc.* Excepta *Pelagiana*, huic enim in primis *Nestorium* favisse, ex paulo post dicendis elucebit.
- 5) *Plus admirationis, quam utilitatis: plus fumae etc.* „Cum naturali facundia esset (verba sunt *Socratis de Nestorio* VII. 32.), eruditus quidem videbatur: revera tamen erat indoctus. Libros enim veterum interpretum haud quaquam legere dignabatur. Arrogantia enim elatus, ob dicendi facultatem non satis accurate vetustioribus legendis operam dabat; sed se ipsum reliquis omnibus praestare arbitrabatur. Factus episcopus (ut est apud *Socratem* VII. 29. 31.) in oratione ad imperatorem arrogantem hanc et decantatam apud omnes emisit vocem: *Mihi, o imperator, terram haereticis purgatam tribue: et ego tibi coelum retribuam. Tu mihi in profligandis haereticis subveni, et ego tibi in profligandis Persis subveniam.*
- 6) *Majorum memoria Photinus etc.* Nazione *Gala- ta*, *Marcelli Ancyrani* discipulus, post episcopus *Sirmiensis*, falsa dogmata apud *Pannones* disseminavit, ut est verisimile, circa annum 341.; condemnatus paulo post in concilio *Antiocheno*, quod referre solent ad annum 343.

7) *Monumentis librorum suorum etc.* Teste *Hieronymo* cap. 107. de viris illustr. scripsit *Photinus* libros plurimos, ex quibus opus erat facile princeps, quod exaravit adversus *gentiles*; item aliud ad *Valentinianum*. Continnavit præterea, ut *Rufinus* refert in expos. symboli apost., confessionem fidei in usum catechumenorum (*audientium*), contortis rectae fidei dogmatis, ad suos comprobandos errores. *Sozomenus* demum testatur H. E. IV. 6., *Photinum*, cum in exilio vitam ageret, opus confecisse graeco jet latino sermone adversus omnes haereses, excepta sua, Similia tradit *Socrates* H. E. II. 31.

8) *Sed etiam Apollinaris etc.* Erant *Apollinares* duo, pater et filius; seculo IV. fama eruditiois monumentisque iagenii, quae mandarunt litteris, valde illustres; laudati a patribus, *Athanasio*, *Greg Naz.*, *Epiphanio*, *Bas.*, *Hieron. Aug.* etc. Erat *Apollinaris* pater *Beriti* magister ludi litterarii: post ecclesiae *Laodicenae* presbyter. Filius patre doctor, de quo hic sermo est, litteris elegantioribus, praecipue poesi probe excultus, neque rudis in Hebraicis, philosophicis ac theologicis rebus docebat *Laodiceae* rhetoricae. Quam est perspicuum, fuisse eum episcopum *Laodicenum*: tam est obscurum, quo anno episcopale munus adierit.

9) *Magnos aestus etc.* Vulgatae editiones ferunt: *Magnos actus etc.* Ex codice *Colbertino* meliorem lectionem: *Magnos aestus* adoptavit *Baluzius*. Quae quidem lectio jam antea probabilis videbatur *Bartholomeo Petro*; adscripta margini *Duacensis* editionis, quam adornavit.

10) *Multis voluminibus etc. Longum est, scribit Vincentius paulo infra, universa Apollinaris opera obmemorare.* Scripsit, si Careum audiimus, *vir extra controversiam doctissimus Apollinaris innumerabilia volumina.* Ex quibus maxime probavit sanctus Hieronymus opus triginta librorum *adversus Porphyrium.* Praeter insigne hoc opus enumerat Caveus libros ejusdem plures nominatim, ex Socrate, Hieronymo, Philostorgio, Sozomeno, Theodoreto. Addit librorum ejus fragmenta aliquot occurrere in *catenis veterum.* Dolendum sane, quod ex tanto codicum numero ad nos non pervenerit nisi unus fortasse, videlicet *paraphrasis psalmorum versibus heroicis,* quae ex bibliotheca regia in publicum prodit, edita graece. Paris. 1552. 8. una cum versione latina ibidem 1580. 8. Recusa Heidelbergae 1596. 8. opera *Sylburgi* apud Commelinum; illata denique Appendix ad *Bibliothecum Patrum.* Paris. 1624. Hanc quidem *psalmorum metaphorasin* Caveus tribuit Apollinario seniori, nulla addita ratione. Fatendum est, tum ab antiquis, tum a recentioribus utrumque Apollinarem non satis accurate inter se distingui; ut proclive sit hic labi.

11) *Insanas Porphyrii columnias etc.* Fuisse Porphyrium, natione Syrum, gentilem philosophum, acerrimum Christi hostem et calumniatorem veritatis, in confessu est apud omnes. Nihilominus ab ingenii acumine, doctrinae et operum praestantia valde commendatur ab antiquis patribus. Eusebius Caesar, qui 30 libros elucubravit ad refellendas Porphyrii blasphemias, ponit eum in clarissimorum philosophorum numero. Ob eruditionis famam eundem celebrat Cyrillus. Augustinus vero eum appellat philose-

phum nobilem, doctiorem Platonicum, magnum gentilium philosophum; quamvis fuerit Christianorum acerrimus inimicus. Quanti Porphyrium fecerit Boethius, vel ex eo liquet, quod ejus libros, latine redditos, commentariis illustraverit. Quae omnia plenius enarrata invenies apud Lucam Holstenium in ejus vita cap. I. Obiit, ut videtur, ineunte tertio seculo.

C A P U T XVII.

Recenset Photini, Apollinaris et Nestorii errores.

1) Utile igitur fuerit, 2) in excursu, quid supra momorati haeretici sentiant, breviter exponere, id est, *Photinus, Apollinaris, Nestorius*. 3) *Photini ergo secta haec est*. Dicit, Deum singulum esse et solitarium et more judaico confitendum. Trinitatis plenitudinem negat. Neque ullam Dei Verbi, aut illam spiritus sancti putat esse personam. Christum vero hominem tantummodo solitarium asserit; cui principium adscribit ex Maria. Et hoc omnimodis dogmatizat, solam nos personam Dei Patris, et solum 4) Christum hominem colere debere. Haec ergo *Photinus*. *Apollinaris* vero in unitate quidem Trinita-

tis quasi consentire se jactitat, et hoc ipsum
5) non plena fidei sanitatem: sed in Domini
incarnatione aperta professione blasphematum.
Dicit enim in ipsa 6) salvatoris nostri carne
aut 7) animam humanam penitus non fuisse,
aut certe talem fuisse, cui mens et ratio non
esset. Sed et 8) ipsam Domini carnem non
de sanctae Virginis Mariae carne susceptam:
sed de coelo in virginem descendisse dice-
bat, eamque nutabundus semper et dubius,
modo coaeternam Deo Verbo, modo de Ver-
bi divinitate factam praedicabat. Nolebat
enim, in Christo esse duas substantias, unam
divinam, alteram humanam, unam ex Patre;
alteram ex matre; sed ipsam Verbi naturam
putabat esse discissam; quasi aliud ejus per-
maneret in Deo, aliud vero versum fuisset i
carnem; ut cum veritas dicat, ex duabus sub-
stantiis unum esse Christum; ille contrarius
veritati, ex una Christi divinitate duas asse-
rat factas esse substantias. Haec itaque
Apollinaris. *Nestorius* autem, contrario
Apollinari morbo, dum sese duas in Christo
substantias distinguere simulat; duas intro-
duceit repente personas, et inaudito scelere
9) duos esse vult filios Dei; duos Christos:
unum Deum, alterum hominem: unum, qui
ex patre, alterum, qui sit generatus ex
matre. Atque ideo asserit, sanctam Mariam
non *Theotocon* esse dicendam; quia scilicet

ex ea non ille Christus, qui Deus: sed ille,
qui erat homo, natus sit. Quod si quis eum
putat in litteris suis unum Christum dicere,
et unam Christi praedicare personam, non
temere credat Aut enim istud 10) fallendi ar-
te machinatus est, ut per bona facilius sua-
deret et mala: sicut ait apostolus Rom. VII.

13. Per bonum mihi operatus est mortem,
Aut ergo, ut diximus, fraudulentiae causa
quibusdam in locis scriptorum suorum unum
Christum et unam Christi personam credere
se jactitat: 11) aut certe post partum jam vir-
ginis ita in unum Christum duas perhibet
convenisse personas, ut tamen conceptus seu
partus virginei tempore et aliquanto postea
duos Christos fuisse contendat; ut cum
scilicet Christus homo communis primum et
solitarius natus sit, et ne cum Dei Verbo
personae unitate sociatus, postea in eum as-
sumentis Verbi persona descenderit, et licet
nunc in Dei gloria manet assumptus; ali-
quamdiu tamen nihil inter illum et ceteros
homines interfuisse videatur.

1) Utile igitur etc. Quicunque ea, quae in fine
 proximi capituli dicta sunt, attenta mente perlegerit,
 contuleritque cum his, quae isto capite exponuntur,
 nullo paene negoti intelliget, τὸ igitur positum
 esse pro: *nihilominus*.

2) In excursu etc. id est, per figuram orationis, quam
 digressionem appellant.

- 3) *Photini ergo secta etc.* Genuinam de haeresi *Photini Vincentium* tradidisse notitiam, liquet ex synodis, quae *Antiochiae*, *Sirmii*, *Romae* contra eum celebratae sunt. Consentiens pariter est *Vincentiana* narratio his, quae de *Photino* prodidere veteres. Id duntaxat peculiare habet *Vincentius*, quod asserat, dogmatizasse *Photinum more judaico*; dum alii referunt, illum secutum esse *Pauli Samosateni*, *Murcelli Ancyrani*, aut *Sabellii* prava dogmata; quae quidem, quantum ad rem ipsam, in idem fere redeunt.
- 4) *Christum hominem colere etc.* Quae hic refertur de cultu Christi, meri hominis, possunt intelligi de filio Dei adoptivo, qui sanctioris vitæ conversatione divinitatis cultum promeruerit; quemadmodum delirasse *Nestorianos*, paulo post dicemus. Aequum aut magis a recta ratione alienum est, quod *Sociniani* comminiscuntur, cultum divinitatis Christo, quem in classe ponunt rerum creatarum, esse impendendum; quia Pater praecepit; quasi Pater idololatriam possit præcipere.
- 5) *Non plena fidei sanitatem etc.* Veteres editiones carent particula: *Non*. Neque aliter legit *Petavius* Tom. V. theol. dogm. Lib. I. cap. 6. num. 15. Etiam hinc sanus redit sensus: si subintellexeris, quae habet *Vincentius*; ita scilicet jactitasse *Apolinarem*.
- 6) *Salvatoris nostri etc.* De *Salvatoris nomine sanctus Augustinus de Trin.* Lib. III. cap. 10 haec ait: *Qui est Hebraice Jesus, graece Ἰησος, nostra autem locutione Salvator: quod verbum latina lingua antea non habebat; sed habere pos-*

terat: sicut potuit, quando voluit. Haec Aug.
Mirum est, esse ex theologis non paucos, adeo de-
*licatos, ut *Salvatoris* vocabulum fastidiant, quod*
Ciceronianum non sit, Christumque dicere malint
**Servatorem*; quasi vox ista purius perfectiusve ex-*
*primeret *Soteris* nomen. Atqui judice ipsomet*
*Tullio Lib. II. in Verrem, graeca vox *Soter* la-*
tino uno verbo exprimi non potest. Is est nimi-
*rum *Soter*, qui salutem dedit. Quibus adjungam*
et illud, quod idem Cicero habet Lib. III. de finibus:
Hujusmodi res, ad philosophiam, quidni et theolo-
giam spectantes, dicere ornate velle, puerile est;
plane autem et perspicue expedire posse, docti
et intelligentis est viri. Quodsi, ut docet latini
*sermonis magister et interpres optimus, illud *Serva-**
**toris* vocabulum visum non est, satis exprimere*
vocem graecam: quid prohibebat, excogitare aut in-
vehere nomen novum, quod rei significandae aptius
*reputabant? Atque hoc est nomen *Salvatoris*, cui*
*vim eam, qua, praeceptore Tullio, vox *Servaturis**
caruit, potestatemque tribuisse videntur. Usi sane
*sunt *Salvatoris* vocabulo *Tertullianus*, *Cypria-**
nus*, *Lactantius*, *Arnobius*, *Hieronymus*, *Au-
**gustinus* *Vincentio* nostro antiquiores; ut non sit,*
quod nos pudeat ejusce nominis. Siqui tandem sunt, quos
plus movet, aut delectat profana vetustas, vel auc-
toritas gentilium monumentorum: hi velim sciant, sup-
*petere inscriptionem veterem, in qua fit mentio *Jovis**
**Salvatoris*. Refert eam *Fresnacu* pag. 762. Tom.*
*III. Glossarii L. L. Vide de his *Buronium* in an-*
*not. ad martyrol. Rom. die IX. Nov. et *Molanum**
*in annotat. ad *Usuardum* die XXV. Febr.*

7) *Animam humanam etc.* Quid sit de humana anima, quam *Apollinaris* Christo abnegasse traditur, facile perceptu est: si philosophiae *Platonicæ*, cui erat addiclus, spectemus placita. Vulgatum dogma erat apud *Platonicos*, constare hominem ex tribus; nimirum ex corpore, anima et mente. Denegavit itaque *Apollinaris* Christo mentem, id est, animam rationalem; sensitivam non negavit. Lubet in rei confirmationem testimonium addere *Theodoreti*, qui Lib. IV. haeret. fabb. cap. 8. de *Apollinare* haec habet: *Dixit esse Deum Verbum, quod corpus et animam assumpsit, non rationalem; sed rationis expertus: quam naturalem, sive vitalem aliqui nominant.*

8) *Ipsam Domini carnem etc.* De Christi carne quid senserit *Apollinaris*, difficilius est judicatu. *Vincentium* si audimus, erat *Apollinaris* nutabundus semper hac in quaestione, ac dubius, ut suspicari liceat, eum, velut errantes solent, sibi haud constitisse ac tradidisse opposita. Ex his, quae refert *Vincentius* de mutatione divinitatis in carnem, sequitur, praelusisse *Apollinarem Eutychianis*. Quae non mirum, quod scripta *Apollinaris* venditarint nomine *Athanasi*, *Greg. Thau.*, *Julii Romani*, teste *Evagrio* III. 31. *Aug. Haeresi* 55. *Theodar.* IV. 4.

9) *Duos esse vult filios Dei, duos Christos etc.* Ex quibus conficitur, hallucinatum esse *Walchium*, dum scribebat *Tom. V. Haeresiol.* pag. 780., *Nestorio* ab adversariis nunquam fuisse objectum errorēm de duobus filiis et duobus Christis. Jungimus *Vincentia Cassianum*, coaevum pariter scriptorem, *Ne-*

storiique adversarium: quod ostendunt libri septem, quos jussu Leonis adversus Nestorium elucubravit dicavitque huic ipsi Romano pontifici. Libro enim sexto cap. 5. num. 4. alloquens Nestorium inquit: Duos a te absque dubio Christos fieri etc. et paulo infra: Duos utique Christos esse blasphemas. Non minus aperię errorem illi exprobrat de duobus filiis. Subdit enim: Duo ergo sunt, id est, et ille, qui ex Deo patre in coelo genitus; et ille, qui ex Maria, Deo inspirante, conceptus,

10) *Fallendi arte etc. De Nestorio, ejusque sectatoribus scribit sanctus Cyrillus ad Valerianum: Nam unam duntaxat personam se statuere fingunt. Quo sensu admiserint unam, explicat Facundus Lib. I. cap. 3. Sed unam, inquit, dicere personam, Nestorianorum nova subterfugia minus excludit qui convicti innumeris testimonialis patrum, quod Deus verbum et assumptus homo una persona sit, pro auctoritatis dignitate ab eis hoc vel existimunt dictum, vel existimare se fingunt. Interpretate hunc in modum Facundo, Nestorius, quo duarum personarum, quas confinxit, blasphemiam occuleret, unam se in Christo personam fateri autemabat, non quidem secundum hypothesis: sed pro auctoritate dignitatis: quia Christus vicarius Dei Verbi erat constitutus: unde et illius personam reprecentabat.*

11) *Aut certe post partum etc. Indicat hoc loco Vincentius, quo significatu Nestorius Christum modo unum, modo duos confessus fuerit. Duos videlicet agnovit Christos tempore virginei conceptus atque partus: unum vero admittendum esse censuit,*

post partum: donec, ut *Nestorius* commentus est,
in unum Christum duae convenissent personae,

C A P U T XVIII.

*Proponitur catholica doctrina dictis
haeresibus opposita.*

Haec ergo *Nestorius*, *Apollinaris*, *Photinus* adversus catholicam fidem, rabidi canes, latrant. *Photinus* trinitatem non confitendo: *Apollinaris* convertibilem Verbi dicendo naturam; et duas in Christo substantias non confitendo, et aut totam Christi animam aut certe mentem atque rationem in anima dengando et asserendo pro sensu mentis fuisse Dei verbum: *Nestorius* duos Christos aut semper esse, aut aliquando fuisse asseverando. Ecclesia vero catholica et de Deo, et de Salvatore nostro recta sentiens, nec in trinitatis mysterio, nec in Christi incarnatione blasphemat. Nam et unam divinitatem in Trinitatis plenitudine et Trinitatis aequalitatem in una atque eadem maiestate veneratur; et unum Christum Jesum, non duos, eundemque Deum pariter, atque hominem confitetur. Unam quidem in eo personam; sed du-

as substantias; duas substantias, sed unam credit esse personam: duas substantias: quia mutabile non est Verbum Dei; ut ipsum verteretur in carnem: unam personam, ne duos profitendo filios 1) quaternitatem videatur colere: non Trinitatem.

- 1) *Quaternitatem etc.* Sunt praeter *Vincentium alii*, qui *Nestorianis* objecere *Quaternitatem* in divinis: velut *Marius Mercator*, ante *Mercatorem Proclus* in Homilia coram *Gregorio Naz.* dicta. Aliorum meminit *Petavius* Lib. V. de incarn. cap. 10. §.
3. Qua adducti ratione *Nestorianis* olim objecerunt errorem de *Quaternitate*, edisserit *Cassianus* Lib. VI. de incarnat. contra Nestor. cap. 5. num. 5. „Duo „ergo sunt, inquit *Nestorius*, id est, et ille, qui „est ex Deo patre in coelo genitus, et ille, qui „ex Maria, Deo inspirante, conceptus. Ac per hoc „quartus est hic, quem introducis: quem in tantum „cum verbis hominem solitarium dicas, reipsa so- „litarium non fuisse confirmas: ut eum etiam „si non ita, ut debes, tamen et honorabilem et ve- „nerandum et adorandum esse fatearis. Ergo cum „et adorandus sit utique Dei filius, qui ex patre na- „tus et adorandus, qui per spiritum sanctum ex Ma- „ria procreatus: duos ergo et honorabiles tibi, et ve- „nerabiles facis, quos in tantum a se dividis, ut pe- „culialiter suo quemque honore venereris. Ac per hoc „intelligis, quod negando ac separando a se filium „Dei, totum, quantum in te est, sacramentum di- „vinitatis evertis.. Dum enim quartam in Trinitate „personam conarisi inserere; vides, te totam Trini- „tatem penitus dehegasse.“

C A P U T X I X.

*Exponitur fides catholica de Trinitate
et incarnatione.*

1) Sed operaे pretium est, ut id ipsum etiam atque etiam distinctius et expressius enucleemus. In Deo una substantia; sed tres personae: in Christo duae substantiae; sed una persona. In Trinitate aliis atque aliis; non aliud atque aliud: in Salvatore aliud atque aliud; non aliis atque aliis. Quo modo in Trinitate aliis atque aliis; non aliud atque aliud? Quia scilicet alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti; non alia et alia; sed una eademque natura. Quomodo in Salvatore aliud atque aliud; non aliis atque aliis? Quia videlicet altera substantia divinitatis; altera humanitatis; sed tamen deitas et humanitas, non alter et alter; sed unus idemque Christus, unus idemque filius Dei, et unius ejusdemque Christi, et filii Dei una, eademque persona: sicut in homine aliud caro, et aliud anima; sed unus idemque homo, anima et caro. In *Petro* et *Paulo* aliud anima, aliud caro, nec tamen duo, *Petri* caro et anima: aut alter *Paulus* anima, alter caro; sed unus idemque

Petrus, unus idemque *Paulus*, ex duplice diversaque subsistens animi, corporisque natura. Ita igitur in uno eodemque Christo duae substantiae sunt; sed una divina, altera humana: una ex patre Deo, altera ex matre virginie: una coaeterna et aequalis patri; altera ex tempore et minor patre: una consubstantialis patri; altera consubstantialis matri; unus tamen idemque Christus in utraque substantia. Non enim alter Christus Deus, alter homo: non alter increatus, alter creatus: non alter impassibilis, alter passibilis: non alter aequalis patri, alter minor patre; non alter ex patre, alter ex matre; sed unus idemque Christus, Deus et homo: idem non creatus et creatus: idem incommutabilis et impassibilis, idem commutatus et passus, idem patri et aequalis et minor: idem ex patre ante secula genitus, idem in seculo ex matre generatus, perfectus Deus, perfectus homo. In Deo summa divi itas, in homine plena humanitas. Plena, inquam, humanitas; quippe quae animam simul habeat et carnem; sed carnem veram, nostram, maternam; animam vero intellectu praeditam, mente ac ratione pollentem. Est ergo in Christo Verbum, anima, caro; sed hoc tantum unus est Christus, unus filius Dei, et unus salvator ac redemptor noster. Unus autem non corruptibilis nescio qua divinitatis et humanitatis confusione;

sed integra et singulari quadam unitate personae. Neque enim illa conjunctio alterum in alterum convertit, atque mutavit, (2) qui est error proprius *Arianorum*) sed ita in unum potius utrumque compegit, ut manente semper in Christo singularitate unius ejusdemque personae, in aeternum quoque permaneat proprietas uniuscujusque naturae; quo scilicet nec unquam Deus corpus esse incipiat, nec aliquando corpus, corpus esse desistat. Quod etiam humanae conditi is demonstratur exemplo. Neque enim in praesenti tantum, sed in futuro quoque, unusquisque hominum ex anima constabit et corpore; nec tamen unquam aut corpus in animam, aut anima vertetur in corpus; sed unoquoque hominum, sine fine victuro, in unoquoque hominum sine fine necessario utriusque substantiae differentia permanebit. Ita in Christo quoque utriusque substantiae sua cuique, in aeternum proprietas, salva tamen personae unitate retinenda est.

1) Quae hoc capite continentur, si quidem simillima sint his, quae in *Athanasiano symbolo* feruntur, ansam praebuerunt *Antelmio*, affirmandi, quod peculiaris dissertatione comprobare admissus est, *Vincentium nostrum* illius symboli auctorem esse. Quae ea de remouimus in prolegomenis §. XII., opus non est hic loci repetere.

2) *Qui est error proprius Arianorum?* Ita delirasse *Arianos*, ut contenderent, Verbum mutatum esse in carnem, tradunt *Athanasius* in libro de salutari adventu; *Leontius* de sectis art. 3. Eo quoque valent illa *Hilarii* Lib. X. de Trin. §. 16.: ubi disputans contra *Arianos* scribit: *Verbum caro factum non amiserat manere, quod Verbum est.* Et §. 18. *Ac ne verbi virtus atque natura defecisse a se existimaretur in carnem.* Evidem facile largimur, non fuisse hunc errorem *Arianorum* omnium proprium, aut communem; sed *Eunomaeorum* potissimum, qui, ut fertur, insanum illud commentum de Verbi mutatione in carnem, traditum ab *Apollinare*, adoptarunt, praedicaruntque *Eutychianismum* ante *Eutychetem*.

C A P U T X X.

*Commonstratur, Christum veram
esse personam.*

1) *Sed cum personam saepius nomina-*
mus; et dicimus, quod Deus per personam
homo factus sit: vehementer verendum est,
ne hoc dicere videamur, quod Deus Verbum
sola imitatione acti is, quae sunt nostra,
suscepit, et quidquid illud est conversatio-
nis humanae, quasi adumbratus, non quasi-

verus homo fecerit; sicut in theatris fieri solet, ubi unus plures effingit repente personas; quarum ipse nulla est. Quotiescunque etenim aliqua suscipitur imitatio actionis alienae; ita aliorum officia aut opera patrantur, ut tamen hi, qui agunt, non sint ipsi, quos agunt. Neque enim (ut, verbi gratia, secularium, 2) *et Manichaeorum* utimur exemplis) cum auctor tragicus 3) sacerdotem effingit, aut regem, sacerdos, aut rex est: nam, desinente actu, simul et ea, quam susceperat, persona desistit. Absit hoc a nobis nefarium scelestumque ludibrium; 4) *Manichaeorum* sit ista dementia, qui phantasiae praedicatores ajunt, filium Dei Deum, personam hominis non substantive extisisse; sed actu putativo quodam et conversatione simulasse. Catholica vero fides ita Verbum Dei hominem factum esse dicit, ut, quae nostra sunt, non fallaciter et adumbrate, sed vere expresseque susciperet, et quae erant humana, non quasi aliena imitaretur; sed potius, ut sua gereret, et prorsus, quod agebat, hoc etiam esset. Sicuti ipsi nos quoque in eo, quod loquimur, sapimus, vivimus, subsistimus, non imitamus homines; sed sumus. Neque enim Petrus et Joannes, ut eos potissimum nominem, imitando erant homines; sed subsistendo. Neque item Paulus simulabat apo-

stolum, aut fingebat *Paulum*; sed erat apostolus, et subsistebat *Paulus*: ita etiam Deus Verbum assumendo et habendo carnem, loquendo, faciendo, patiendo per carnem, sine ulla tamen suae corruptione naturae, hoc omnino praestare dignatus est, ut hominem perfectum non imitaretur aut fingeret; sed exhiberet; ut homo verus non videretur aut putaretur; sed esset atque subsisteret. Igitur sicut anima connexa carni, nec in carnem tamen versa, non imitatur hominem; sed est homo; et homo non per simulationem: sed per substantiam: ita etiam Verbum Deus, absque ulla sui conversione, uniendo se homini, non confundendo, non imitando factus est homo; sed subsistendo. Abjiciatur ergo tota penitus personae illius intelligentia, quae fingendo imitatione suscipitur; ubi semper aliud est, et aliud simulatur; ubi ille, qui agit, nunquam is est, quem agit. Absit etenim, ut hoc fallaci modo Deus Verbum hominis personam suscepisse credatur; sed ita potius, ut incommutabili sua manente substantia et in se perfecti hominis suscipiendo naturam, ipse caro, ipse homo, ipse persona homi is exsisteret; non simulatoria, sed vera; non imitativa, sed substantiva; non denique, quae cum actione desisteret; sed quae prorsus in substantia permaneret. Haec igitur in Christo personae unitas nequaquam

post virginis partum; sed in ipso virginis utero compacta atque perfecta est.

1) *Sed cum personam saepius nominamus etc.*

Cognitum est *personae* vocabulum non occurrere in sacrationibus litteris; ubi de Trinitate sermo est. Non minus tamen constat, rem ipsam eo nomine denotatam, divinarum litterarum firmis et certis inniti testimoniis; eamque appellationem in ecclesia receptam et observatam esse ex antiqua et perpetua traditione, decreto concilii Nicaeni et concordi scriptorum consensu; ut, quemadmodum loquitur *Cassander* art. 1. *Consult.*, vel hinc appareat, quae vis sit catholicæ traditionis in praecipuis fidei controversiis. Quem in locum commentans *H. Grotius* monet, *vocabus theologicis*, quae civitate donatae sunt, et *conciliorum universalium auctoritate*, aut magno consensu eruditorum receptae, refragandum non esse. Praeivit *Boethius*, qui, integro fere cap. II. libri de 2 naturis et 1 persona, statuta et explicata notione personae, cum nonnulla attulisset, in quorum enarranda vi et potestate scriptores different, sapienter addidit: *Quo vero nomine unum quodque oporteat appellari; ecclesiasticae sit locutionis arbitrium*; quod videlicet receptae in ecclesia loquendi consuetudini praedjudicare nolle.

2) *Et manichaeorum etc.* *Baluzio* suboluit, a sciolo quodam *Manichaeos* textui additos. Quanquam vero auctoritas codicum msc. suspicioni *Baluziunae* non suffragetur, minime tamen sumus alieni ab illius crisi; quoniam l. c. spondet *Vincentius*,

secularium, id est, comicorum exemplo se rem esse declaraturum.

3) *Sacerdotem effingit etc.* Aetate *Vincentii* fuisse in more positum, ut in theatris induerent comoedi aut tragoedi personam sacerdotis aut episcopi, ex hoc loco colligimus. Cautūm quidem est solempni edictio Justiniani imperatoris, quod legitur in fine *Novellae* 123., ne theatralia exercentes utantur schemate monachi, aut monastriæ, aut cujuscunque personae hujusmodi, gravibus etiam exilii intentatis poenis: executione hujus legis episcopis quoque demandata; unde inferas, jam ante fuisse vetitum, episcopos aut presbyteros, ludibrii aut contemptus causa in spectaculis scenicis repraesentare. Simili fere constitutione praeiverant *Theodosius*, *Arcadius*, *Honorius* A A A., ut fert inscriptio L. *Mimae* Cod. Lib. I. Tit. III.

4) *Manichæorum sit ista dementia etc.* *Manichæi* Christum nunquam corpoream assumpsisse naturam, neque pro corporibus immortalitate donandis venisse dicebant; sed fantastica duntaxat in carne. Qui quidem error corollarium quodpiam est, fluens ex primario eorum dogmate de duobus principiis. Fabulabantur quippe, materiam esse procreatam a principio malo. Propterea damnabant procreationem rerum corporearum, generationes, nuptias, et quidquid cum materia connexum est. Ob eandem rationem nolebant, Christum, quem colebant, in carne venisse. Legendum de his est *Augustinus* in libris adv. illos,

C A P U T X X I.

*Christum jam in utero matris Deum esse,
asserit, et Mariam Theotocon.*

Vehementer enim praecavere debemus, ut Christum non modo unum; 1) sed etiam semper unum confiteamur; quia intoleranda blasphemia est, et etiamsi nunc eum unum esse concedas: aliquando tamen non unum; sed duos fuisse contendas: 2) unum scilicet post tempus baptismatis; duos vero sub tempore nativitatis. Quod immensum sacrilegium non aliter profecto vitare poterimus, nisi unitum hominem Deo, sed unitate personae; non 3) ab ascensu, vel resurrectione, vel baptismo; sed jam in matre, jam in utero, jam denique in ipsa virginali conceptione fateamur; 4) propter quam personae unitatem indifferenter ei atque promiscue, et quae Dei sunt propria, tribuuntur homini, et quae carnis propria, tribuuntur Deo. Inde est enim, quod divinitus scriptum est, *et filium hominis descendisse de coelo (Joan. III. 13.) et dominum majestatis crucifixum in terra (Corinth. II. 8.)* Inde etiam est, ut carne Domini facta, carne Domini creata, ipsum Verbum Dei factum, ipsa sapientia Dei impleta, scientia creata dicatur; 5) sicut in praescien-

tia *manus* ipsius et *pedes* ejus fossi esse refe-
runtur (Ps. XXI. 18.) Per hanc, inquam, per-
sonae unitatem illud quoque similis mysterii
ratione perfectum est, ut carne Verbi ex in-
tegra matre nascente, ipse Deus Verbum na-
tus ex virgine catholicissime credatur, im-
piissime denegetur. Quae cum ita sint, ab-
sit, ut quisquam sanctam *Mariam* divinae
gratiae privilegiis et speciali gloria fraudare
conetur. Est enim singulari quodam Domini,
ac Dei nostri, 6) filii autem sui munere, ve-
rissime ac beatissime 7) *Theotocos* confitenda;
sed non eo modo *Theotocos*, quo impia quae-
dam haeresis suspicatur, quae asserit, eam
Dei matrem sola appellatione dicendam;
quod eum scilicet pepererit hominem,
qui postea factus est Deus: sicut dici-
mus presbyteri matrem aut episcopi matrem,
non jam presbyterum aut episcopum pari-
do, sed eum generando hominem, qui postea
presbyter aut episcopus factus est. Non ita,
inquam, sancta *Maria Theotocos*; sed ideo
potius, quoniam, ut supra dictum est, jam
in ejus sacrato utero sacrosanctum illud my-
sterium perpetratum est, quod propter sin-
gularem quamdam atque unicam personae
unitatem sicut Verbum in carne caro; ita ho-
mo in Deo, Deus est.

- 1) *Sed etiam semper unum i. e. inde ab utero matris divinitati unitum, confiteamur. Quas hoc capite enarrantur Nestorii errata, Pelagiani cum Nestorianis fere communia habent. Reprehenduntur Nestoriani hoc loco, quod asserant natum a Virgine fuisse hominem solitarium, sejunctum a divinitate. Eadem Nestorianis objicit Cassianus, una observans, Pelagianorum hoc dogma esse. Nuper, inquit Cassianus de incarn. Lib. I. cap. 2. id est, diebus nostris, emersit haeresis venenosa (de Nestoriana loquitur) solitarium hominem Dominum nostrum Jesum Christum blasphemans . . . Novus nunc jam, non novae haereseos auctor, qui Dominum salvatorem nostrum solitarium hominem natum esse contendit, idem se omnino dicere advertit, quod Pelagianistae ante dixerunt.*
- 2) *Unum scilicet post tempus baptismatis etc. In baptismo inauguratum esse Christum, quando scilicet, spiritu sancto, specie columbae super ipsum descendente, unctus est; post resurrectionem autem a mortuis merito passionis Deitate esse donatum, ut refert Cassianus l. c., iidem Nestoriani tradiderunt. Cujusmodi quidem doctrinam in Pelagianis redarguens Augustinus Lib. IV. op. imperf. contra Julianum num. 82. scribebat: Siccine vos contra Dei gratiam defensio liberi arbitrii praecipites egit, ut etiam ipsum mediatorem, ut esset Dei filius unicus, voluntate sua meruisse dicatis? . . . Secundum vos non a verbo Dei homo susceptus est, ut ex virgine nasceretur; sed natus ex virgine suae postea voluntatis virtute profecit, et fecit, ut a Verbo Dei susciperetur, non tamen ac tantam voluntatem illa susceptione hu-*

bens; sed ad illam susceptionem tali ac tantu voluntate perveniens.

3) *Ab ascensu etc.* Parum abest, ut credam, praeter *Vincentii* mentem, ab imperito scriba hoc vocabulum esse assutum: siquidem, quantum sciam, apud eos, qui de rebus *Pelagianis* aut *Nestorianis* scripta reliquerunt, nihil istiusmodi occurrat; quasi docuerint dicti haeretici, demum in suo ad patrem in coelis reditu Christum divinitatis factum suis participem.

4) *Propter quam personae unitatem etc.* *Vincen-*
tius hiuc incipit disserere de divino dogmate communi-
 cationis idiomatum; quod probat contra *Nesto-*
rium argumenti iisdem, quibus post patres antiquos
 catholici adhuc utuntur. Negasse *Pelagiunos* dog-
 ma idem, sequitur ex prava eorum interpretatione
 oeconomiae de domi ica incarnatione; de qua supra.
 Eluet praeterea clarius ex confessione *Leporii*. Erat
Leporius monachus Afer, *Pelagiana* sectae addic-
 tus. Profectus in *Gallias* cum errores *Pelagii* dis-
 seminare latius tentasset, inde redux in patriam ope-
 ra *Augustini* ad mentem meliorem rediit, ejurata
 haeresi, cui adhaeserat. Scripsit ad episcopos Gal-
 licanos epistolam, testem suae resipiscenti. Atte-
 xuit epistolae confessionem fidei, Pelagiis erroribus
 oppositam. Cumque i illa iterum iterumque profi-
 teatur idiomatum in Christo communicationem; recte
 inferes, errorem oppositum, cum versabatur in scho-
 la Pelagiana, se tenuisse. *Si seorsum*, inquit in
 epistola laudata, *quae Dei sunt, soli Deo de-*
mus: et seorsum, quae sunt hominis, soli ho-
mini reputemus: quartam manifestissime intro-

ducimus in Trinitate personam: et de uno fili Dei non unum, sed facere incipimus duos Christos; quod a nobis jam ipse Dominus et Deus, Christus avertat. Ergo confitemur, et omnia dicimus, quae erant Dei, transiisse in hominem, ut omnia, quae erant hominis, in Deum venirent. De Leporio plura dabit Bertius circa finem libri: *de rebus gestis sancti Augustini* pag. 317. seqq. cap. VI., quo finitur narratio de *Leporio*, praefert hanc inscriptionem: *Pelagianorum et Nestorianorum affinitas.*

5) *Sicut in praescientia etc.* id est, in prophetia Ps. XXI. 18. *Foderunt etc.* In vulgatis quidem Hebraicis bibliis legitur: *Caari; sicut Ico.* Sed 70 legerunt: *Caaru; Foderunt.* Sicque esse legendum, haud dubium est. Siquidem 70 notae melioris codices habuerint ad manum. Neque aliter legit veritatem sanctus Hieronymus. Sensus tandem hinc reddit multo clarior; ut recte statuatur, Latini interpretis lectionem vulgatam merito hic anteponi oportere vulgato textui Hebraico. Plura de controverso commate habet Bellarminus in Ps. XXI. 18.

6) *Filii autem sui munere etc.* In edit. Bas. 1556. legitur: *Non filii autem sui munere etc.* Neque ista lectio prorsus contemnenda est, si ratio habeatur systematis Nestoriani. Docebant post Pelagianos Nestorii sectatores, Christum natum ex Maria hominem fuisse solitarium, qui labore, studi virtutumque operibus, naturae viribus peractis promeruerit, ut Deus fieret. Hac de re canit Prosper opigram. III. contra Nestorianos et Pelagianos: *Nam Christum pietate operum et mercede volentes,*

esse Deum. Quem errorem reprobans *Vincentius* scribit, Christum factum esse Deum divino munere, et mox in utero virginis; ita ut ista Dei cum homine conjunctio mihi imo possit repeti ex meritis naturalibus hominis solitarii: velut commenti sunt cum *Pelagianis Nestoriani*.

7) *Theotocos confitenda etc.* Dubio caret, *Nestorianos* in hac etiam quaestione, unde novae tragediae iitium fuit, *Pelagianos* in errore socios habuisse; quod pravi dogmatis communio, quasi virgo pepererit hominem solitarium, ut statuebant *Pelagiani*, luculenter evincit.

Praeter arctam dogmatum cognationem, suppetunt alia, quae amicam inter *Nestorianos* et *Pelagianos* conspirationem atque necessitudinem produnt. Refert *Cassianus de incarn.* Lib. I. cap. 2. *Nestorium intercessionibus suis Pelagianistarum querelas fore, et scriptis suis causas illorum asserere; iis patrocinari et consanguineae sibi improbitati improbo suffragari affectu, cognitamque sibi haeresin adjuvare.* Scripsit sane, ut patrocinium impenderet *Pelagianis*, semel, iterumque ad *Coelestinum* papam. Dedit praeterea operam, ut in edicto, quod *Theodosius* promulgavit adversus omnes haereses, nulla fieret de *Pelagianis* mentio. Ad haec cum iret ad synodum *Ephesinam Nestorius*; comitiati sunt illum *Pelagiani*. In synodo denique damnati sunt *Nestoriani*, una cum *Pelagianis*. Quare non importune utriusque haereseos sanctus *Prosper* commune hoc scripsit epitaphium, quod incipit:

*Nestoriana luce successi Pelagianae;
Quae tamen est utero progenerata mea.*

De his velim conferas Norisium Lib. II. Hist. Pelag. cap. 7. seq. et Bertium in suis ad Norisium adnotationibus.

C A P U T XXII.

Photini, Apollinaris et Nestorii erroribus opponit fidem ecclesiae catholicae.

Sed jam ea, quae supra de memoratis haeresibus, vel de catholica fide breviter dicta sunt, renovandæ causa memoriae, brevius strictiusque repetamus; quo scilicet et intelligantur iterata plenius, et firmius inculcata teneantur. Anathema igitur *Photino*, non recipienti plenitudinem Trinitatis et Christum hominem tantummodo solitarum prædicanti. Anathema *Apollinari*, asserenti in Christo conversae divinitatis corruptionem et auferenti perfectae humanitatis proprietatem. Anathema *Nestorio* neganti, ex virginе Deum natum, asserenti duos Christos, et explosa Trinitatis fide, quaternitatem nobis introducenti. Beata vero catholica ecclesia, quae unum Deum in Trinitatis plenitudine,

et item Trinitatis aequalitatem in una divinitate veneratur: ut neque singularitas substantiae personarum confundat proprietatem; neque item Trinitatis distinctio unitatem separet deitatis. Beata, inquam, ecclesia, quae in Christo duas veras perfectasque substantias; sed unam Christi credit esse personam; ut neque naturarum distinctio unitatem personae dividat; neque item personae unitas differentiam confundat substantiarum. Beata, inquam, ecclesia, quae, ut unum semper Christum et esse, et fuisse fateatur, unitum hominem Deo, non post partum, sed in ipso matris utero confitetur. Beata, inquam, ecclesia, quae Deum factum hominem, non econversione naturae, sed personae ratione intelligit; personae autem non simulatoriae et transeuntis, sed substantivae ac permanentis. Beata, inquam, ecclesia, quae hanc personae unitatem tantam vim habere prædicat, ut propter eam, miro ineffabilique mysterio et divina homini et Deo adscribat humana. Nam propter eam et 1) hominem de coelo secundum Deum descendisse non abnegat; et Deum secundum hominem credit in terra factum, passum, et crucifixum. Propter eam denique et hominem Dei filium et Deum filium virginis confitetur. Beata igitur et veneranda benedicta et sacrosancta et omnino supernae illi angelorum laudatio.

ni comparanda confessio, quae unum Dominum Deum trina sanctificatione glorificat. Idcirco etenim vel maxime unitatem Christi praedicat, ne mysterium Trinitatis excedat. Haec in excursu dicta sint: alias, si Deo placuerit, 2) uberius tractanda, et explicanda. Nunc ad propositum redeamus.

1) *Hominem de coelo etc.* Videtur hoc loco resperisse *Vincentius* verba Christi *Io. III. 13.* *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo; filius hominis, qui est in coelo.*

2) *Uberius tractanda etc.* Si, quemadmodum in votis habuit *Vincentius*, pleniorum edidisset hoc de argumento tractatum: confidere omnino licet mysterium redemptionis, quod in hoc commonitorio fere intactum reliquit, expositurum curatius fuisse atque vindicaturum adversus *Nestorianue* doctrinae improbitatem. Negabant videlicet, praeceptore *Nestorio*, ejus discipuli dominicae redemptionis necessitatem, illiusque veritatem; volebantque, Christum non fuisse redemptorem; sed eum duntaxat, qui bonorum operum praeluxerit exemplis, quae quicunque imitantur, eadem consequuntur virtutum praemia, quae Christus vitae sanctioris et passionis merito sibi peperit. *In maiorem*, verba sunt *Cassiani* Lib. I. de incarn. contra Nest. cap. 2., quoque ac monstruosiorem insaniam prorumpentes dicebant, *Dominum nostrum Jesum Christum hunc in mundum non ad praestandam humano generi redemptionem; sed ad praebenda bonorum actuum exempla venisse: videlicet ut disciplinam ejus se-*

quentes homines, dum per eandem viam virtutis incederent, ad eadem virtutum praemia pervenirent, evanquantes, quantum in ipsis fuit, omnem divinae redemptionis gratiam. Quicunque haec legit, non potest non meminisse Socinianorum, qui quantum in ipsis est, divinae redemp-

tionis evertunt mysterium; neque aliter explicant, ac Nestoriani, quibus, ut in ceteris conspirant, aut potius praeiverunt Pelagiani, dicentes, ut refert Augustinus Lib. de nat. grat. cap. 6. naturam hominum, neque in parvulis medico, quia sana est; neque in majoribus gratiae adjutorio egere; quia sibi sufficiens est ad justitiam. Cumque urgenter a catholicis, esse Christum generis humani redemptorem, salvatorem mundi, omnem ipsius gratiam reponebant in lege, doctrina et exemplis. Nemo, rerum gnarus, non intelligit, hanc Nestorianorum atque Pelagianorum sententiam penitus consiprare, ac eandem esse cum Socinianorum haeresi. Erat ergo Socinianismus ante Socinum; ut pleraque sectae novae ex antiquis renatae sunt; ad quas quidem repellendas opus non videtur refutatione opera- sa: sed quemadmodum monet Cassianus Lib. II. de fid. incar. cap. 1. satis esse posset damnationis sententia dudum in eos lata, qui antiquas haereses resuscitant. „Sufficere quidem ei (sunt verba de novo haeretico veteres errores recoquenti) ad excipiendam justae damnationis sententiam debet priorum haereticorum iusta damnatio. Quia cum easdem radices habeat, atque iisdem erroribus emergat, satis jam in auctoribus suis ipse damnatus est, maxime cum id ipsum, quod ipsi asserunt, etiam hi, qui proxime ante hos male securti sunt, bene condebarint, ut

„sufficere his abunde jam in alterutrum suorum exempla debeat; vel horum scilicet, qui emendati, vel eorum, qui condemnati sunt. Si enim corrigi queant, habeant in suorum correctionibus medelam; si corrigi non queunt, habent suorum damnatione sententiam.

C A P U T XXIII.

Exemplo Origenis patescit, permitti a Deo lapsus virorum illustrium.

Dicebamus ergo in superioribus, quod in ecclesia Dei tentatio esset populi error magistrorum, et tanto major tentatio, quanto ipse esset doctior, qui erraret. Quod primum scripturae auctoritate; deinde 1) ecclesiasticis docebamus exemplis, eorum scilicet commemoratione, qui, cum aliquamdiu sanae fidei forent habiti, ad extremum tamen aut in alienam decidissent sectam, aut ipsi suam haeresin condidissent. Magna profectores, et ad dicendum utilis et ad recolendum necessaria; quam etiam atque etiam exemplorum molibus illustrare et inculcare debemus, ut omnes vere catholici noverint, se cum ecclesia doctores recipere; non cum doctoribus fidem ecclesiae deserere debere. Sed ego ita arbitror, quod, cum

multos in hoc tentandi genere proferre valeamus, nemo paene sit, qui 2) *Origenis* temptationi valeat comparari: in quo plura adeo praeclara, adeo singularia, adeo mira exstiterunt, ut inter initia, habendam cunctis assertionibus ejus fidem, quivis facile judicaret. Nam si vita facit auctoritatem; magna illi industria, 3) magna pudicitia, patientia, tolerantia. Si genus vel eruditio: quid eo nobilius, qui primum in ea domo natus est, quae est 4) illustrata martyrio; deinde pro Christo non solum patre, sed omni quoque facultate privatus, tantum inter sanctae paupertatis profecit angustias, ut pro nomine dominicae confessionis saepius, 5) ut ferrunt, affligeretur. Neque vero haec in illo sola erant, quae cuncta postea temptationi forent; sed tanta etiam vis ingenii, tam profundi, tam acris, tam elegantis, ut omnes paene multum, longeque superaret; tanta doctrinae ac totius eruditionis magnificentia, ut pauca forent divinae, paene fortasse nulla humanae philosophiae, quae non penitus assequeretur: 6) cuius scientiae cum Graeca concederent, Hebraea quoque elaborata sunt. Eloquentiam vero quid memorem, cuius fuit tam amoena, tam lactea, tam dulcis oratio, ut mihi ex ore ipsius non tam verba, quam mella quaedam fluxisse videantur? Quae non ille persvasu difficultia dispu-

tandi viribus limpidavit? Quae factu ardua non, ut facillima viderentur, effecit? Sed forsitan argumentorum tantummodo nexibus assertiones suas texuit? Immo plane nemo unquam magistrorum fuit, qui pluribus divinae legis uteretur exemplis. Sed, credo, pauca conscripsit? 7) Nemo mortalium plura: ut mihi sua omnia non solum non perlegi; sed ne inveniri quidem posse videantur: cui ne quidquam ad scientiae instrumenta deosset; 8) etiam plenitudo exabundavit aetatis. Sed forsitan discipulis parum felix? Quis unquam felicior? nempe innumeri ex sinu suo doctores, innumeri sacerdotes, confessores, et 9) martyres extiterunt. Jam vero quanta apud omnes illius admiratio, quanta gloria, quanta gratia fuerit, quis exequi valeat? Quis non ad eum paulo religiosior ex ultimis mundi partibus advolavit? Quis Christianorum non paene ut prophetam, quis philosophorum non ut magistrum veneratus est? Quam autem non solum privatae conditioni; sed ipsi quoque fuerit venerandus imperio, declarant historiae, quae eum 10) a matre *Alexandri* imperatoris accitum ferunt, coelestis utique sapientiae merito, cuius et ille grati, et amore illa flagrabat. Sed et ejusdem epistolae testimonium perhibent, quas 11) ad *Philippum* imperatorem, qui primus Romanorum principum christia-

nus fuit, christiani magisterii auctoritate conscripsit. De cuius incredibili quadam scientia si quis referentibus nobis christianum non accipit testimonium; saltem testificantibus philosophis gentilem accipiat confessionem. Ait namque 12) impius ille *Porphyrtus*, exscitum se fama ipsius *Alexandriam* puerum fere perrexisse, ibique eum vidisse jam senem; sed plane talem tantumque, qui arcem totius scientiae condidisset. Dies me citius defecerit, quam ea, quae in illo viro praeclara exstiterunt, vel ex minima saltem parte perstringam: quae tamen omnia non solum ad religionis gloriam, sed etiam ad tentationis magnitudinem pertinebant. Quotus enim quisque tanti ingenii, tantaे doctrinae, tantaे gratiae virum aut facile deponeret; ac non illa potius uteretur sententia, se 13) cum *Origene* errare malle, quam cum aliis vera sentire? Et quid plura? Eo res decidit, ut tantaе personae, tanti doctoris, tanti prophetae non humana aliqua; sed, ut exitus docuit, nimium periculosa tentatio 14) plurimos a fidei integritate dederet. Quam ob rem hic *Origenes* tantus ac talis, dum gratia Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique satis credit, dum parvi pendit antiquam christianaе religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere praesumit, dum ecclesiasticas traditiones et veterum ma-

gisteria contemnens, quaedam scripturarum capitula novo more interpretatur, ut de se quoque ecclesiae Dei diceretur: *si surrexerit in medio tui propheta etc.* Et paulo post: *Non audies, inquit, verba prophetae illius.* Et item: *Quia tentat vos, inquit, Dominus Deus vester; utrum diligatis eum, an non.* Vere non solum tentatio, sed etiam magna tentatio, deditam sibi, atque in se pendente ecclesiam admiratione ingenii, scientiae, eloquentiae, conversationis et gratiae, nihil de se suspicantem, nihil verentem, subito a veteri religione in novam profanitatem sensim paulatimque traducere. Sed dicet aliquis, 15) corruptos esse *Origenis* libros. Non resisto; quin potius et malo. Nam id a quibusdam et traditum et scriptum est, non catholicis tantum, verum etiam haereticis. Sed illud est, quod nunc debemus advertere, et si non ipsum, libros tamen sub nomine suo editos, magnae esse temptationi: qui multis blasphemiarum vulneribus scatentes, non ut alieni; sed quasi sui, et leguntur et amantur, ut, etsi in errore concipiendo *Origenis* non fuit sensus; ad errorem tamen persvadendum *Origenis* auctoritas valere videatur.

1) *Ecclesiasticis docebamus exemplis etc.* Videlicet *Photini, Apollinaris et Nestorii;* de quibus facta est mentio cap. XVI, XVII, XXII.

- 2) *Origenis temptationi etc.* Tam multa, tamque praeclara de *Origine* commemoravit *Vincentius* hoc in capite, ut mirari suheat, splendidissimum hoc elogium ne verbo quidem indicari a *Thoma Pope Blount* in censura illustrium auctorum, in quam promisit, se congesturum judicia de clarissimi cuiusque secus scriptoribus; ut dignoscere lector queat, quid in singulis maxime memorabile sit, et quoniam in pretio apud eruditos semper habiti fuerint.
- 3) *Magna pudicitia etc.* Ipse *Origenes* damnavit, quod perperam intellectis Christi verbis *Matth. XIX. 12.*, imprudens admiserat. *Conf.* illius Tom. XV. in *Matth.* item Lib. VII. *adversus Celsum.*
- 4) *Illustrata martyrio etc.* *Leonides*, *Origenis* pater, *Alexandriae* martyr occubuit, imperante *Severo*. Colitur 22. April.
- 5) *Ut ferunt, affligeretur etc.* Teste *Eus. H. E.* Lib. VI. *Origenes* in *Deciana* persecutione, post toleratas contumelias, minas, carceres, vincula, catenas, praeclarum constantiae, ac fidei suae testimonium praebuit.
- 6) *Cujus scientiae cum Graeca concederent; Hebraea quoque elaborata sunt etc.* Costerus legendum putat: *cujus scientiae cum Graeci non concederent etc.* Quod est obscurum aequa ac contortum. Alii censem, habuisse hoc loco *Vincentium* in animo, edocere, quod in *Origene* mirabatur *Hieronymus*, illum videlicet contra aetatis gentisque suae naturam didicisse linguam Hebraeam, et junxisse Graecae, ac in utraque valuisse plurimum. Haec omnia vera quidem esse non diffitemur. At scriben-

is menti congruere, ut eam rite exprimant, negamus. Obscuritas dicti *Vincentiani* cubat potissimum in illis verbis; *Cujus scientiae cum Graeca concederent etc.*, quae allata interpretatione minime tollitur. Quid ergo? Palam est, scriptorem nostrum esse frequentem in agnibendis *abstractis*, loco *concretorum*. Hoc posito, vexatam sententiam ita interpretari liceat; *Cujus scientiae*, i. e. Origeni scientia multiplici ornatisimo, *cum Graeca concederent*, i. e. cum Graeca locum cederent, atque otium tempusque indulgerent, stylum exercendi in alio scribendi genere aut lingua ali *Hebraea quoque elaborata sunt*; i. e. convertit animum ad clucubrandae ea, quae ad linguas sanctae studium atque excolendam Hebraeorum litteraturam referuntur. Quae quidem interpretatio interea allubescit; donec occurrat melius.

7) *Nemo mortalium plura etc.* Sanctus Hieronymus, quae huc spectant, haec habet; *Origenes mille et eo amplius tractatus, quos in ecclesia locutus est, edidit. Innumerabiles praeterea commentarios, quos ipse appellavit tomos, et quos nunc praetereo, ne ridear operum ejus indicem texere. Quis nostrum potest tanta legere, quanto ille conscripsit?* Quibus posterioribus verbis similia habet *Vincentius*; et id, quod verissimum est, addit, *Origenis*, quae edidit ingenii monumenta, inveniri singula haud posse. *Lumperus* pag. 236. seqq. Tom. IX. Hist. theal. crit. longam exhibet seriem epistolarum, tractatum, librorum adversus haereticos, dialogorum operumque *Origenis* aliorum, quae injuria temporum hominumve improbitate aut ignorantia in deperditis nunc habentur.

- 8) *Etsam plenitude exabund. aetatis etc.* Vita excessit *Tyri* apud *Phoenices*, anno aetatis 66.; quemadmodum computat *Eusebius H. E. Lib. VII. cap. 11.*
- 9) *Et martyres extiterunt etc.* Ex schola *Origenis*, qui inde a puero martyri erat cupientissimus, invicti prodierunt non pauci christienae fidei pugiles, qui vitam pro Christo dederunt; velut *Plutarchus, Serenus, Heraclides, Hero*, et alii apud *Dupin. pag. 192. Tom. I. de scrip. ecol.*
- 10) *A matre Alexandri etc.* *Julia Mammaea, Alexandri imperatoris mater, Origenem vocavit, non Romanam, ut post Baronium falso adnotat Salinas; sed Antiochiam; quemadmodum diserte tradit Eusebius H. E. Lib. VI.; quo eodem teste comprimus, iter illud Romanum ab Origene conjectum fuisse i imperii Antonini.*
- 11) *Ad Philippum imp. qui primus Rom. princ. christianus fuit etc.* Equidein vulgaris est opinio *Constantinum* primum fuisse imperatorem christi num; at levia non sunt, neque contemnenda argumenta, quae illam praerogativam *Philippo* vindicant. *Philippus*, ita legitur in Chronico *Eusebii, Philippum filium suum consortem regni facit, primusque omnium ex Romanis imperatoribus christianus fuit.* Eadem testatur *Orosius* semel, iterumque *Lib. VII. cap. 13. Philippus primus omnium imperatorum christianus fuit.* Eodem libro cap. 18. *Constantinus imperator est ereatus primus imperatorum christianus, excepto Philippo.* Ponderatis utriusque sententiae fundamentis, rem in

medio relinquendam esse judicat *Moshemius* Sect.
III. Hist. eccl. cap. 1.

12) *Impius ille Porphyrius etc.* Teste *Socrate* ex *Christiano* factus gentilis, dictus ab *Hieronymo* rabidus in Christum canis; ab *Augustino* appellatus *doctior inter Platonicos*; quamvis, ut inquit, Christianorum acerrimus inimicus; cuius blasphemias *Eusebius* refutavit in *opere praep. evang.* Lib. III. et VIII. Quin peculiare opus 30 librorum *Porphyrio* opposuit.

13) *Cum Origene errare malle etc.* Phrasis mutuata ex *Cicerone* Lib. I. Tusc. Q. Q. *Errare malo cum Platone, quam cum istis vera sentire.* Similia habet *Claudianus Mamertus de statu animae* Lib. II. cap. 11. adnotante *Buluzio*.

14) *Plurimos a fidei integritate deduceret etc.* *Vincentius Origeni* errorem nullum speciatim objicit, contentus dicere, contemnere illum traditiones; et scripturam sacram novo more explicare, i. e. errasse eum circa regulam fidei. *Augustinus* in lib. de Haer. recenset *Origenis* errores plures. In eo autem potissimum refellendo occupatur, quod negaverit aeternitatem poenarum. „Quis enim, inquit, „catholicus christianus, vel doctus, vel indoctus non „vehementer exhorreat eam, quam dicit *Origenes* „purgationem malorum, id est, etiam eos, qui hanc „vitam in vitiis, et facinoribus, et sacrilegiis, atque „impiebus, quamlibet maximis, finierunt, ipsum „etiam postremo diabolum, atque angelos ejus, „quamvis post longissima tempora purgatos, atque „liberatos, regno Dei, lucique restitui etc.“ Atque

hunc *Origenis* errorem ponit inter ea *dogmata*, quae *atholica ecclesia omnino non recipit*. In quibus nec ipsum falso arguit; nec potest ab ejus *defensoribus excusari*. Quam *eccllesia Dei* sit aliena ab *Origeniano* hoc dogmate, perspicuo declaravit in *synodo generali V.*, quae nominatim proscrispsit novem *Origenis* errores. Hos inter, qui postremum locum occupat, hoc anathemate est percussus: *Qui dicit, ad tempus esse daemonum, et impiorum hominum supplicium; ejusque finem aliquando futurum; anathema sit.*

15) *Corruptos esse Origenis libros etc.* Vix est ullus ex scriptoribus ecclesiasticis, qui tam diversa iudicia fuerit expertus, sive apud veteres sive apud recentiores, quam *Origenes*. Qui excusant, libros ejus dicunt esse corruptos. Aeque dictu est arduum, quam tragicci motus ejus causa fuerint excitati. Illud certe nimium est, quod refert *Sulpicius Dial. I. epis copos obstinatus renitentes pro potestate coegisse recta etiam universa, quae docuit Origenes, cum pravis et cum ipso auctore damnare.*

C A P U T XXIV.

Idem declaratur exemplo Tertulliani.

Sed et *Tertulliani* quoque eadem ratio est. Nam sicut ille apud Graecos, ita hic apud Latinos nostrorum omnium facile prin-

ceps judicandus est. Quid enim hoc viro doctius? Quid in divinis atque humanis rebus exercitatus? Nempe omnem philosophiam et cunctas philosophorum sectas, auctores, assertatoresque sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum atque studiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio vero nonne tam gravi ac vehementi excelluit, ut sibi nihil paene ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit aut pondere eliserit? Jam porro 1) orationis suae laudes quis exsequi valeat, quae tanta, nescio qua, rationum necessitate conferta est, ut ad consensum sui, quos svadere non potuerit, impellat: cuius quot paene verba; tot sententiae sunt; quot sensus, tot victoriae? Sciunt hoc *Marciones*, *Apelles*, *Praxeae*, *Hermogenes*, *Judaei*, *Gentiles*, *Gnostici*, ceterique, quorum ille blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus evertit. Et tamen hic quoque post haec omnia, hic, inquam, *Tertullianus*, catholici dogmatis, id est, universalis ac vetustae fidei parum tenax; ac disertior multo, quam felicior, mutata deinceps sententia fecit ad extremum, quod de eo beatus confessor 2) *Hilarius* quodam loco scribit: *sequenti, inquit, errore detraxit scriptis probabilibus auctoritatem.* Et fuit ipse quoque

in ecclesia magna tentatio. Sed de hoc nolo plura dicere. Hoc tantum commemorabo, quod contra *Maysi* praeceptum exurgentibus in ecclesia 3) novellas *Montani* furias et insana illa insanarum mulierum novitii dogmatis somnia veras prophetias asseverando, meruit, ut de se quoque et scripturis suis diceretur: *si surrexerit in medio tui propheta etc.* Et mox: *Non audies verba prophetae illicius.* Quare? *Quia*, inquit, *tentat vos Dominus Deus vester; utrum diligatis eum, an non.* His igitur tot ac tantis ceterisque ejusmodi ecclesiasticorum exemplorum molibus evidenter advertere, et secundum *Deuteronomii* leges luce clarius intelligere debemus, quod, si quando aliquis ecclesiasticus magister a fide aberraverit, ad temptationem id nostram fieri providentia divina patiatur: *utrum diligamus Deum; an non, in tota corde et in tota anima nostra.*

3) *Orationis suae laudes etc.* *Vincentius* orationem *Tertulliani* hoc loco potissimum commendat a copia et gravitate sententiarum atque rationum ponderis. Paulo tamen post etiam eloquentiae meminit: dum *disertorem* appellat. Quid sit de stylo *Tertulliani*, aliter judicarunt *Lactantius* et *Hieronymus*; qui duumviri justi sunt, nemine diffidente, eorum rerum aestimatores. Scribit *Lactantius* Lib. I. instit. div. cap. 1. *In loquendo Tertullianus parum facilis, et minus comptus, et multum ob-*

scurus. Sanetus vero Hieron. in ep. ad Paulinum de Tertulliano refert: Creber in sententiis; sed difficilis in loquendo. Nihilominus beatus Aug. de haeres. cap. 86. ait: Tertulliani multa leguntur opuscula eloquentissime scripta.

2) *Hilarius quodam loco etc.* Nimicum *Commentar.* in *Matth.* cap. 5. Etiam *Hieronymus* derogat auctoritati *Tertulliani*: cum enim *Helvidius Tertulliani* patrocinio gloriaretur, respondit *Hieronymus* cap. 7. lib. contra *Helvidium*: *De Tertulliano nihil amplius dico, quam ecclesiae hominem non fuisse.*

3) *Novellas Montani furias etc.* Quemadmodum *Origeni*, ita *Tertulliano* nullum speciatim errorem objecit *Vincentius*, contentus dicere, *Tertullianum* editas a *Montano*, et ejus mulierculis *Prisca* (aliis *Priscilla*) et *Maximilla* revelationes pro veris habuisse. *Augustinus* Haer. 86. nonnulla addit, videlicet *Tertullianum*, postquam deflexit ad *Montanistas*, quos ante impugnaverat, damnasse secundas nuptias; valedixisse *Montanistis*, ac propriam constituisse sectam, quae dicta est *Tertullianistarum*, atque docuisse, animas hominum pessimas post mortem in daemones verti, statum vero animae propagari per traducem.

C A P U T XXV.

*Est hominis vere catholici, tenere
id, quod ecclesiam semper te-
nuisse perspexerit.*

Quae cum ita sint; ille est 1) verus et germanus catholicus, qui veritatem Dei, qui ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui divinae religioni, qui catholicae fidei nihil praeponit, non hominis cuiuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philosophiam; sed haec cuncta despiciens, et in fide fixus, stabilis permanens, quidquid universaliter antiquitus ecclesiam catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumque decernit; quidquid vero ab aliquo deinceps uno praeter omnes, vel contra omnes sanctos novum et inauditum subinduci senserit, id non ad religionem, sed ad tentationem potius intelligit pertinere, tum praecipue beati apostoli *Pauli* eruditus eloquiis: hoc est enim, quod in prima ad *Corinthios* epistola scribit: 2) *Oportet haereses esse, ut probati manifesti fiant in vobis;* ac si diceret: ob hoc haereseon non statim divinitus eradicantur auctores; ut probati manifesti fiant: id est, ut unusquisque,

quam tenax et fidelis, et fixus catholicae fidei sit amator, appareat. Et revera, cum quaeque novitas ebullit; statim cernitur 3) frumentorum gravitas, et levitas palearum: tunc sine magno molimi titur ab area, quod nullo pondere intra aream tenebatur. Namque alii illico prorsus avolant; alii vero tantummodo excussi, et perire metuunt, et redire erubescunt saucii, semineces ac semi-vivi; quippe qui tantam veneni hauserint quantitatem, quae nec occidat. nec digeratur, nec mori cogat, nec vivere sinat. Heu miseranda conditio! Quantis illi curarum aestibus, quantis turbinibus exigitantur? Nunc etenim, qua ventus impulerit, incitato errore rapiuntur; nunc in semetipsos reversi, tanquam contrarii fluctus reliduntur; nunc temeraria praesumptione et ea, quae incerta videntur, approbant; nunc irrationali mente etiam, quae certa sunt, expavescunt; incerti, qua eant, qua redeant, quid appetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant. Quae quidem dubii, et male penduli cordis afflictio divinae erga se miserationis est medicina; si sapiant. Idcirco etenim extra tutissimum catholicae fidei portum diversis cogitationum quatuntur, verberantur ac paene enecantur procellis, ut excussa in altum elatae mentis vela deponant, quae male novitatum ventis expanderant; seseque intra fidis-

simam stationem placidae ac bonae matris reducant et teneant, atque amaros illos turbulentosque errorum fluctus primitus revomant, ut possint deinceps vivae et salientis aquae fluenta potare. Dediscent bene, quod didicerunt non bene: et ex toto ecclesiae dogmate, 4) quod intellectu capi potest, capiant: quod non potest, credant.

1) *Verus et germanus catholicus etc.* Nomine *veri*, *germanique catholici* ex antiqui imo receptaque loquendi usu intelliguntur *christiani orthodoxi*, eademque nuncupatione discernuntur a christi is haereticis; velut notat in Thesauro eccles. *Svizcerus*, idoneisque monumentis confirmat. Fuisse haereticos, qui ementitum catholicorum nomen sibi arrogarent, ut viderentur, quales non erant, testis est *Augustinus*: *Dixerunt*, inquit in *Psal. 67.*, *se catholicos*, *ut possent excludere haereticos*. *Quare te dicas catholicum*, *ut excludatur haereticus*: *et non potius es catholicus*, *ut sis exclusus haereticus*? In eandem rem sunt verba *Paciani Hispaniensis* episcopi sec. IV., qui de se haec scribebat ad *Sempronianum Novatianam*: *Christianus mihi nomen est*; *catholicus vero cognomen*: *illud me nuncupat*; *istud ostendit*: *hoc probor*; *inde significor*. *Qui Catholicus*, *idem obediens*, *idem est Christianus*; *atque ita Catholicus Christianus est*. *Quare ab haeretico nomine noster populus hac appellatione dividitur*, *cum catholicus nuncupatur*.

2) *Oportet haereses esse etc.* Hac apostoli sententia saepe usus est *Tertullianus* in libro de *praescript.* videl. capp. IV. V. XXXIX. Et i itio ejusdem operis eadem *Pauli* verba interpretans scripserat: *Ad hoc enim sunt haereses, ut fides hubendo tentationem, habeat etium probationem.* Sanctus *Cyprianus* in idem *Pauli* dictum lib de unit. eccl. scribebat: *Sic probantur fideles: sic perfidi deguntur.* His fere consentientia sunt ea, quae habet *Augustinus* ep. 50. ad *Bonifacium*: *Oportet esse haereses, ut inter inimicos erudiamur; ac sic et fides, et dilectio nostra possit esse probatior.* Eodem spectat illud *Hilarii*: *Manifestentur in pace sua pseudoprophetae: quia in haeresi, et schismate manifestabuntur probati;* velut loquitur *Pictaviensis* episcopus Lib. adv. *Constantium* imp. haud procul ab i itio.

3) *Fruumentorum gravitas etc.* Explicat *Vincentius* hic loci, et applicat parabolam de tritico et palea *Matth.* III. 12.

4) *Quod intellectu capi potest, capiant; quod non potest, credant.* In religione multa sunt humanae rationis viribus pervia: sunt alia, quae non rudibus tantum, sed etiam acutis ingeniiis impervia videntur. Hic suae infirmitatis memor sit humana ratio, monente *Vincentio*. Idem ante eum monuerunt patres alii. *Tertullianus* cap. 8. de *praescript.* inquit: *Nobis curiositate opus non est post Jesum Christum; nec inquisitione post evangelium.* Cum credimus, nihil desideramus, ultra credere. Eandem in rem *Ambrosius* Lib. I. cap. 5. de fide ad *Gratianum* scribit: *Aufer hinc argumenta:*

*ubi fides quaeritur Piscatoribus creditur,
non dialecticis.* Adjungendus est Aug. super Jo-
ann. *Quid est, inquit, fides, nisi credore, quod
non vides?* Unde et quomodo capitur Trinitas,
recte interrogas. Ideo bene creditur: quia cito
non capitur. Nam si cito caperetur: non esset
opus, ut crederetur: quia videretur. Aut brevi-
us in fine Lib. VII. de Trin. Quod intellectu ca-
pi non potest, fide teneatur. His similia passim
proficitur, et pluribus inculcat Augustino antiquior
Hilarius, praecipue in libris de Trinitate. Lib. I.
num. 15. vocat eos, qui, quae sunt supra rationis
captum, audent rejiceré, arbitros religionis, qui
obedientiae officium recusent, sui immemores,
divinorum negligentes, praceptorum emenda-
res. Num 21. ait: *Quod ab homine per naturum
hebetem non capitur, id fides jam rationabilis
scientiae consequatur.* Lib. II. num 10. post-
quam affirmaverat, nos non capere ea, quae in nobis
sunt, aut a nobis fiunt; velut odor, sensus, visus,
auditus etc. subdit: *Haec, si potes, enarra.* Ha-
bes ergo, quae nescis; et tribuis, quae non in-
telligis; aequanimiter imperitus in tuis; insu-
lenter in Dei rebus ignarus. Num. 11. quaestioni:
*Nullum ergo officium est fidei, si nihil potest
comprehendi?* respondet: *In quo hoc officium fi-
des proficitur, id, unde queritur, incompre-
hensibile sibi esse, se scire.* In sequentibus libris
his affinia apud Hilarium occurruunt, quibus stabi-
litur Vincentianum dogma: *Quod capi non po-
test, creditur.* Atque hic est rectus humanarum
vitium usus; quo fit, ut et debitum obsequium Deo
revelanti praebeas, et prudenter consulas imbecillitati

secus facere, ambitiosi, temerarii atque sediti i ingenii fuerit. Etenim constat, divina esse supra humanae rationis captum; ideoque mortaliu[m] menti haec esse reverenter accipienda; non autem ambitiose nostro esse subjicienda judici. Praeterea quid absurdius excogitari potest, quam nihil aliud credere velle, quam tu intelligere et comprehendere possis: quasi infinitus Deus talis esset tantummodo, qualis finitae menti videri potest: eaque duntaxat velle, aut velle revelare, quorum tibi perspicuae forent causae, effectus et ordo. Non effugiet miserac[em]entiae notam idiota: si falsa affirmare velit, aut vera credere nolit, quae philosophis atque acutis viris certissima apparent; non alia ductus ratione, quam quod capere ipse non valeat: multo autem major eorum est dementia, qui a Deo veritatis fonte revelata, vera ac certa reputare nolint, quod sui intellectus acumen excedant. Quae hucusque ex *Muratorio Lib. I. cap. 7.* de moder. ingen. adduximus menti auctoris nostri plane consentanea esse, neque praeter rem huc translata, sincerus quisque verae fidei cultor ultro profitebitur.

C A P U T XXVI.

*In fide nihil esse innovandum, probatur
potissimum ex I. Tim. VI. 20.*

Quae cum ita sint; iterum atque iterum eadem mecum revolvens et reputans, mirari satis nequeo tantam quorundam hominum vesaniam, tantam excaecatae mentis impietatem, tantam postremo errandi libidinem, ut contenti non sint tradita et accepta antiquitus credendi regula; sed nova ac nova in diem quaerant, semperque aliquid gestiant, religi i addere, mutare, detrahere; quasi non coeleste dogma sit, quod semel revelatum esse sufficiat; sed terrena institutio, quae aliter perfici, nisi assidua emendatione, immo potius reprehensione non possit, cum divina clament oracula: 1) *Nē transferas terminos, quos posuerunt patres tui;* Et: *super judicantem ne judices;* Et: *Scindentem sepem mordebit eum serpens.* Et illud apostolicum, quo omnes omnium haereseon sceleratae novitates, velut quodam spirituali gladio saepe truncatae, semperque truncandae sunt: 2) *O Timothee, depositum custodi,* *devitans profanas vocum novitates et oppositio-* *nies falsi nominis scientiae, quam quidam pro-*

mittentes circa fidem exciderunt. Et post haec inveniuntur aliqui tanta inveteratae frontis duritia, tanta impudentiae incude, tanto adamante pertinaciae, qui tantis eloquiorum coelestium molibus non succumbant, tantis ponderibus non fatiscant, tantis malleis non conquassentur, tantis postremo fulminibus non conterantur? *Devita, inquit,* ³⁾ *profanas vocum novitates.* Non dixit: antiquitates; non dixit vetustates: immo plane quod e contrario sequeretur, ostendit. Nam si vitanda est novitas; tenenda est antiquitas: et si profana est novitas; sacrata est vetustas. *Et oppositiones, inquit, falsi nominis scientiae.* Vere falsum nomen apud doctrinas haereticorum, ut ignorantia scientiae, et caligo serenitatis, et tenebrae luminis appellatione fūcentur. *Quam quidam, inquit, promittentes circa fidem exciderunt.* Quid promittentes exciderunt, nisi novam, nesci, quam, ignorantiamque doctrinam? Audias enim quosdam ipsorum dicere: Venite, o insipientes, et miseri, qui vulgo catholici vocitamini; et discite fidem veram; quam praeter nos nullus intelligit, quae multis ante seculis latuit; nuper vero revelata et ostensa est: sed discite furtim atque secretim: delectabit enim vos. Et item Cum didiceritis, latenter docete, ne mundus audiat; nec ecclesia sciat. Paucis namque concessum est, tanti magisterii

capere secretum. Nonne haec verba sunt illius meretricis, quae apud *Salomonis* proverbia vocat ad se praetereuntes viam, qui dirigunt iter suum? 4) *Qui est*, inquit, *vestrum insipientissimus*, *divertat ad me*. Inopes autem sensu exhortatur, dicens: *Panes occultos libenter attingite, et aquam dulcem furtim bibite*. Quid deinde? *At ille*, inquit, *nescit; quoniam terrigenae apud eam pereunt*. Qui sunt isti *terrigenae*? exponat apostolus: *Qui circa fidem*, inquit, *exciderunt*.

1) *Ne transferas terminos etc.* Tria scripturae sacrae loca, *Prov. XXII. 28. Eccli. VIII. 17. Eccl. X. 8.*, quae hic allegantur, nonnihil aliter sese habent in vulgata nostra: ut conferenti est perspicuum.

2) *O Thymothee etc.* Decretoriae hujus sancti *Pauli* sententiae 1. *Tim. VI. 20.* qua sacrae traditionis evincitur auctoritas, *Vincentius* singula paene vocabula veridica interpretatione declarans, serio commendavit ad mentem apostoli doctrinam religionis traditam, velut *depositum* quoddam fidei, fideliter custodiendam. Hujus *depositi* nomine intelligendum esse verbum Dei viva voce traditum, nemo, qui sermonis contextum considerat, inficiari poterit. In eodem etenim loco scripserat versiculo 2. *Quae audisti a me per multos testes, haec commendare fidelibus* Similia inculcat *Timotheo* in epistola altera I. 13. *Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti.* Quae satis produnt, quantum

a vero distent, qui cum *Baumgartenlo* pag. 58.
Streith. P. III. edit. *Semler.* sentiunt, i. c. nomi-
ne depositi venire scripturam sacram. Veteres
Paulinae ejusdem sententiae pravos i. terpretes refel-
lit *Tertullianus* de praescript. cap. 25. et 26.

3) *Profanos vocum novitates etc.* Adnotat ad hunc lo-
cum *Rösslerus* in analysi *Vincentiani Commonitorii*
in Graeco aliter legi. Non equidem diffitemur, in
Graecis codicibus occurrente vocabulum *χειρονίας*, id
est, *iniquitates* vocum. At negandum non est *χει-
ροφωνίας* legisse lati um *Vulgatae* interpretem,
Chrysostomum, *Athenagoram*, *Irenaeum*, *Lu-
ciferum* *Calaritanum*, *Ambroisiastrum*, sive
scriptorem commentar. in epistolas *Pauli*, et alios;
quemadmodum refert *Griesbachius* in lecti ibus
variis ad 1. *Tim.* VI. 20.

4) *Qui est vestrum insipientissimus etc.* Qui ex-
Prov. cap. IX. hic adducuntur a *Vincentio* tres
versiculi, in *Vulgata* se habent hunc in modum:
16. *Qui est parvulus, declinet ad me. Et ve-
cordi locuta est;*

17. *Aquaे furtivae dulciores sunt: et panis ab-
sconditus suavior.*

18. *Et ignoravi, quod ibi sint gigantes: et in
profundis convivae ejus.*

Dignus est, qui eam in rem legatur *Rudolphus
Bagnus*, *Cantabrigiensis*, *Lutetiae* professor
sanctae linguae. Is, habita ratione textus *Hebrei*,
pari fere modo cum *Vincentio* nostro explicat ver-
bis pluribus propositam ex *Froverbiis* pericopen.

Vide Exegetae Parisiensis commentaria in *Salomonis Proverbia*, quae prodierunt *Parisiis* an. 1555. fol. Inserta etiam sunt operi *Criticorum sacrorum* Tom. II.

C A P U T XXVII.

*Pergit explicare dictum apostoli:
Depositum custodi.*

Sed opere pretium est , totum ipsum apostoli capitulum diligentius pertractare : *O Timothee*, inquit, *depositum custodi*, *devitans profanas vocum novitates*. O! exclamatio ista, et praescientiae est pariter et caritatis. Praevidebat enim , futuros , quos etiam praedolebat, errores. Quis est hodie *Timotheus*, nisi vel generaliter universa ecclesia, vel specialiter totum corpus praepositorum, qui integrum divini cultus scientiam vel habere ipsi debent, vel aliis infundere ? Quid est , *Depositum custodi* ? *Custodi* , inquit, propter fures , propter inimicos , ne , dormientibus hominibus , 1) super seminent zizania , super illud tritici bonum semen , quod seminaverat filius hominis in agro suo. *Depositum*, inquit , *custodi*. Quid

est *depositum*? id est, quod tibi creditum est; non apud te inventum: quod accepisti; non quod excogitasti: rem non ingenii, sed doctrinae; non usurpationis privatae; sed publicae traditionis: rem ad te perductam; non a te prolatam; in qua non auctor debes esse; sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens. *Depositum*, inquit, *custodi*; catholicae fidei talentum inviolatum libatumque conserva. Quod tibi creditum, hoc penes te maneat, hoc a te tradatur. Aurum accepisti; aurum redde. Nolo mihi pro aliis alia subjicias nolo pro auro aut imprudenter plumbum, aut fraudulenter aeramenta supponas; nolo auri speciem, sed naturam plane. *O Timothee!* o sacerdos, 2) o tractator, o doctor, si te divinum munus idoneum fecerit ingenio, exercitatione, doctrina: esto spiritualis tabernaculi 3) *Beseleel*, preciosas divini dogmatis gemmas exsculpe, fidliter copta, adorna sapienter, adjice splendorcm, gratiam, venustatem. Intelligatur, exponente, illustrius, quod ante obscurius creditabatur. Per te posteritas intellectum grataletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen, quae didicisti, doce: ut, 4) cum dicas *nove*, non dicas *nova*.

1) *Superseminent zizania etc.* Applicat *Vincentius*, post *Hilarium* Fragm. III. aliosque, qui praeive-

runt, *parabolam de zizaniis Matth. XIII. 24.*
fallacibus magistris, qui salubrem evangeli doctrinam
novis noxiisque dogmatis corrumpere machinantur.

2) *Θ tractator etc.* Etiam alibi *Vincentius* adhibet
hoc vocabulum, et explicat. *Doctores*, inquit cap.
24. *tractatores nunc appellantur, quos hic idem*
apostolus, etiam prophetas interdum nuncupat;
eo quod per eos prophetarum mysteria populis
aperiantur. Vocabulum hoc tum aetatis introduc-
tum in usum, atque apud scriptores ecclesiasticos,
dicto sensu, latius invaluit; uti videre est apud *Au-*
gustinum, Sidonium, Claudianum, Sulpiciu-
Severum aliasque.

3) *Beseleel etc.* Erat is (*Exodi XXXI. 2.*) p̄ae
omnibus inter alios electus a Deo mirisque instruc-
tus dotibus, qui omnis generis artefactis ex auro,
argento, aere, lapidibus gemmisque pretiosis ac di-
versis lignis Hebraicae gentis tabernaculum ornaret.

4) *Cum dicas nove; non dicas nova.* Sunt, qui ve-
lint in ecclesiis et scholis christi is unice loquendum
esse cum scriptura sacra: abstinendumque a phrasib-
us, modisque loquendi humana auctoritate inventis
in theologia. Ita sane sentiunt diebus nostris, qui-
cunque revelationem ingenio suo accommodant, ut
possint velificari libentius erroribus suis, insuper ha-
bita auctoritate eccliae et patrum traditione, quam
miro modo ambitiose despiciunt. Haerebant in hac
tradendae aut potius depravandae religionis perversa
consuetudine veteres *Ariani*. *Nolo*, inquietabat apud
Hilarium Constantius: *Nolo*, dicebat imperator
Arianus, *verba, quae scripta non sunt in sacris*

litteris, dici. Dietum imperatoris, quo per recti spicent prava confirmet; refellens Hilarius lib. adv. Constant. num. 10. eundem hanc in modum compellat: *Die prius, si recte dici putas: Nolo adversum nova venena novas medicamentorum comparationes, adversus novas insidias consilia recentia . . . Novitates vocum, sed profanias devitare jubet apostolus. Tu vero pius excludis.* Quodsi necessitatem sibi impositam sentit ecclesia catholica, ut erumpentibus novis haeresibus resisteret: per alia dantaxat verba explicat mentem, et voces scripturarum divinarum: quibus nihil aliud, quam vetus doctrina proponitur, vel per legitima consecaria ex iisdem sacris litteris, vel per accuratam investigationem e traditione patrum. Quo quidem fit, ut compescatur ingeniorum licentia, erudiatur indocta plebs, et fidei unitas conservetur.

C A P U T XXVIII.

Occurrit objectioni, ex dicto illo:

Non nova.

Sed forsitan dicit aliquis: Nullusne ergo in ecclesia Christi prefectus? Habeatur plane, et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui illud prohibere conetur? Sed ita tamen, ut ve-

re profectus sit ille fidei ; non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsam unaquaeque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. 1) Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius ecclesiae aetatum, ac seculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia.

1) *Crescat igitur oportet etc.* Oportere Christianos in sacrorum dogmatum cognitione identidem crescere, recta dictat ratio; docetque apostolus in epistola ad Colossenses I. 20. et III. 16. mouens fideles, ut erescant in scientia Dei rerumque divinarum; atque optans, ut verbum Dei in illis abundantiter habitet in omni sapientia. Neque adversatur hui doctrinae dictum Vincentii: *Non nova etc.* Relinquitur enim catholicis campus amplissimus, in quo ingeni sua exerceant, perficiantque in rebus religiorum attinentibus, salvo per omnia veritatum divinitus revealatarum nucleo. Quauquam enim nefas sit atque prohibitum, nova procudere et venditare dogmata, quae a majorum fide veterumque traditi int aliena: integrum tamen cuique christianorum est, avita dogmata explicare clarius, aut luculentius comprobante, nemoque impeditur, quominus examinet argumenta vulgata, quibus innituntur. Neque prohibetur quispiam rejicere probationes infirmas, sseligereque so-

lidores, e peno divi i codicis, probatisque veterum monumentis; unde doctrinae coelesti majus pondus, lux major, accedit. Ad profectum pariter pertinet, investigare, quantum mysteriorum patitur sublimitas, causam, effectum, nexus, ordinem, finem, aut modos alios revelatarum veritatum. Maxima tandem christi is omnibus proficiendi in melius suppeditatur facultas ex lectione scripturae sacrae, quae, ut *Augustinus* scribebat ad *Volusianum*, tanta redditus sapientiae altitudine praedita est, ut annosissimis, flagrantissimis cupiditate descendit hoc contingat, quod eadem scriptura habet, ut cum consummaverit homo, tunc incipiat.

C A P U T XXIX.

Dicta declarat similitudine, ex augmento corporis humani desumpta.

i) Imitetur animarum religio rationem corporum: quae licet annorum processu numeros suos evolvant et explicitent, eadem tamen, quae erant, permanent. Multum interest inter pueritiae florem et senectutis matritatem: sed iidem tamen ipsi fiunt senes, qui fuerant adolescentes; ut, quamvis unius ejusdemque hominis status habitusque mutetur, una tamen nihilominus, eademque na-

tura, una eademque persona sit. Parva lactentium membra, magna juvenum, eadem ipsa sunt tamen. Quot parvulorum artus, tot virorum, et siqua illa sunt, quae aevi maturioris aetate pariuntur, jam in seminis ratione proserta sunt; ut nihil novum pastea proferatur in senibus, quod non in pueris jam ante latitaverit. Unde non dubium est, hanc esse legitimam et rectam proficiendi regulam, hunc ratum atque pulcherrimum crescendi ordinem: si eas semper in grandioribus partes ac formas numerus detexat aetatis, quas in parvulis creatoris sapientia praeformaverat. Quodsi humana species in aliquam deinceps non sui generis vertatur effigiem; aut certe addatur quidpiam membrorum numero, vel detrahatur, necesse est, ut totum corpus vel intercidat, vel prodigiosum fiat, vel certe debilitetur: ita etiam christiana religio-
nis dogma sequatur has, decet, profectum le-
ges, ut annis scilicet consolidetur, dilatetur tem-
pore, sublimetur aetate, incorruptum tamen,
illibatumque permaneat, et universis parti-
um suarum mensuris cunctisque quasi mem-
bris ac sensibus propriis plenum atque per-
fectum sit, quod nihil praeterea permutatio-
nis admittat, nulla proprietatis dispendia,
nullam definitionis sustineat varietatem.

1) Quae hoc in capite ac *Vincentio* disputantur, tamen clara sunt et perspicua, ut commentario, notis aut imadversionibus mihi ingegeant. Ne tamen prorsus imus asymboli, non nihil praestat adjungere, quod cum praesenti argumento quamdam habet affinitatem. Putant non pauci, nova esse, quae nova non sunt. Indoctis potissimum multa apparent nova, quae illi antea ignorauit. Ridentes il se praebarent, si, quae non intelligunt, novitatis nota tentarent infamare; et trahere in suspicionem haereseos. Vae hominibus eruditis, vae studiis litterarum: si, quae non arrident indoctorum palato, damnanda sunt. Quae nam hoc in negotio censoris partes sint, tradit *Muratorius* de moder. ingen. Lib. II. cap. 5.

CAPUT XXX.

Illustrant rem eandem similitudines aliae.

1) Exempli gratia: severunt majores nostri antiquitus in hac ecclesiastica segete triticeae fidei semina: iniquum valde, et incongruum est, ut nos eorum posteri pro germana veritate frumenti subdititium zizaniae legamus errorem. Quin potius hoc rectum et consequens est, ut primis atque extremis,

sibimet non. discrepantibus, de incrementis triticeae instituti tritici quoque dogmatis frugem demetamus; ut, cum aliquid ex illis sēminum primordiis, accessu temporis evolvatur, et tunc laetetur et excolatur, nihil tamen de germinis proprietate mutetur; addatur licet species, forma, distinctio, eadem tamen cujusque generis natura permaneat. Absit etenim, ut rosea illa catholicī sensus plantaria in carduos spinasqe vertantur. Absit, inquam, ut in isto spirituali paradiſo de cinnamomi et balsami surculis loliū repente atque aconita proveniant. Quodcunque igitur in hac ecclesiae Dei agricultura fide patrum satum est, hoc idem filiorum industria, decet, excolatur, et obseruetur, hoc idem floreat et mātūrescat, hoc idem proficiat et perficiatur. Fas est etenim, ut prisca illa coelestis philosophiae dogmata processu temporis excutentur, dimittantur, poliantur; sed nefas est, ut commutentur. Nefas, ut detruncantur, aut mutilentur. Accipiunt licet evidentiam Alucem, distinctionem; sed retineant, necesse est, plenitudinem, integratē, proprietatem.

.111.

2.) Similitudines alias, quibus hoc loco illustratur illa catholicorum fixa, et sacra sancta lex: *Fas non est, dogmata fidei commutare, detruncare, mutilare, desumpsit dogmatistes Lerinensis ex agricultu-*

rat quibusdam exemplis aquae quidem, ut solet; sa-
cra itide gravavit, applicavitque, p̄t̄asibus utens
apud scriptores rei rusticae familiariibus. Scribit;
*Cum aliquid ex illis seminum primordiis, pro-
cessu temporis, evolvatur, et tunc laetetur (id
est, felicius progerminet, ut Columella loquitur).*
*Quo quidem significatu tietandi vocabulum a Pal-
ladio usurpatum esse intelligimus. Frumentum in-
quit tit. VII de re rustica, omnia maxime laetan-
tur, batenti gumpo, et solute, et ad solem re-
clivi passum.*

age oī

lūsālsd incorrigib

sup̄is

C A P U T XXXI.

*Abdicato quo dogmate, periculum est in
alio de ceteris.*

Nam si, semel admissa fuerit haec impia, fraudis, licentia, horreο diceat, quantum ex-
scindenda sitque abolenda religionis pericu-
lum consequatur. Abdicata enim qualibet
parte catholici dogmatis, alia quoque, atque
item alia, ac deinceps alia et alia, jam quasi
ex more et licto abdicabuntur. Porro autem
singillatim partibus repudiatis, quid aliud ad
extremum sequetur, nisi ut totum pariter re-
uidietur? Sed e contra, 2) si novitia veteri-
bus; extranea domesticis; et profana sacratis

admisceri coeperint: proserpat hic mos in universum necesse est, ut nihil posthac apud ecclesiam relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil immaculatum; sed sit ibidem deinceps impiorum ac turpium errorum lupanar, ubi erat antea castae et incorruptae sacrarium veritatis. Sed avertat hoc a suorum mentibus nefas divina pietas; sitque hic potius impiorum furor.

1) *Abdicata . parte catholici dogmatis etc.*

Quam sit perniciosum religionis integritati dogmatis christiani partem abnegare, probat *Cassianus* ex eo, quod sacra dogmata sint inter connexa, ut, qui unum rejicit, rejicit cetera, quae cum illo nexum habent: quod inductione perspicuum reddit; postquam scripserat: *Haec ratio ecclesiastici sacramenti, et catholicae fidei est, ut, qui partem divini sacramenti negat, divini partem non valeat confiteri.* Ita enim sibi connexa et concorporata sunt omnia, ut aliud sine alio stare non possit, et qui unum ex omnibus denegaverit, alia ei omnia credidisse non proposit. Hucusque *Cassianus* Lib. IV. de incarn. cap. 5. Quae in dictorum confirmationem subjungit, lectu pariter dignissima sunt.

2) *Si novitia veteribus etc.* Dubio caret, esse *Vincentium* a novitia illa doctrina, qua veteri Christianorum fidei interneccinum bellum indicitur, ut ab omni profana novitate, toto pectore alienum. Invexit recentior aetas non sine magna evangelicae veritatis clade doctrinæ labem; quam avide imbiberunt,

et amplexae sunt ecclesiae christianaee a catholica se-junctae. Tenent, selectos tantummodo, paucos, paucissimos articulos, quos *fundamentales* vocant, credendos esse; ceteris omnibus impune aut negatis, aut citra salutis dispendium revocatis in dubium. Quantam stragem rei christianaee inferat male *sana* haec doctrina, dietu est difficile. Quicunque praeoccupatis opinionibus immunis est, nullo paene negotio percipit, ex *venenato* illo fonte, pleno manare al eo, quae, retento solo nomine, omnem evertant christi nismum. Quotus enim quisque est, qui non videat, in discrimen adduci verbum Dei; derogari auctoritati Christi; quasi divinus magister revelasset inutilia: *revelationes* divinitus patesfactas subjici judicio, aut arbitratui hominum; an velint iis fidem habere, nec ne? Quodsi credendi quidlibet, vel non credendi cuilibet reicta est facultas; quae unitas fidei? quae ecclesiae concordia? An Christus venit; ut chaos aliquod, afferret hominibus; totque essent religiones, quot sunt capita? Ubi, ubi de novitio, commentitio-que illo principio vestigium quoddam in evangelicis apostolicisque scripturis? ubi in antiquis patrum et conciliorum probatis monumentis in erroris defensio-nem quidquam occurrit? Silent ad haec causae pes-simae patroni. Et ego desino de re evidente ver-bum addere.

C A P U T X X X I I .

Ecclesiae et conciliorum officia atque studia.

Christi vero ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se 1) dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit; non amputat necessaria, non apponit superflu , non amittit sua, non usurpat aliena ; sed omni industria id unum studet, ut vetera fideliter , sapienterque tractando , si qua sunt illa antiquitus informata et inchoata , accuret, et poliat; siqua jam expressa, et enucleata, consolidet , firmet, siqua jam confirmata et definita, custodiat. Denique quid unquam aliud 2) conciliorum decretis enisa est, nisi ut , quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur; quod antea lentius praedicabatur, hoc idem postea instantius praedicaretur; quod antea securius colebatur, hoc idem postea sollicitius excoleretur? Hoc, inquam , semper, neque quidquam praeterea , haeretico- rum novitatibus excitata , conciliorum suorum decretis catholica perfecit ecclesia, nisi ut , quod prius a majoribus sola traditione susceperebat, hoc deinde posteris etiam per

scripturae chirographum consignaret, magnam rerum summam paucis litteris comprehendendo, et plerumque propter intelligentiae lucem, non novum fidei sensum 3) novae appellationis proprietate signando.

1) *Dogmatum custos etc.* Ecce ecclesiam custodem dogmatum, verbis aequi dilucidis tradidit antiquior Iraenaeus. Non oportet, inquit Lib. III. cap. 4, adhuc quaerere upud alios veritatem, quam facile est ab ecclesia sumere: cum apostoli, quasi in depositorum dives, plenissime contulerint omnia, quae sunt veritatis. Unde recte Augustinus contra epistolam Manichaei cap. 5. Ego vero evangelio non crederem: nisi me ecclesiae catholicae commoveret auctoritas. Et Lib. I. contra Cresconium scribebat cap. 33. Quisquis falli metuit hujus obscuritate quaestio[n]is, ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta scriptura demonstrat. Praeter patres eam in rem satis sit, meminisse dicti apostolici: ecclesia columna et firmamentum veritatis 1. Tim. III. 15.

2) *Conciliorum decretis etc.* Verissimum est, quod hoc loco tradit Vincentius, ecclesiam catholicam, excitatam haereticorum novati ibus, id in conciliis semper egisse, ut, quae a majoribus suscepereat documenta fidei, fideli traditione posteris commendaret. Ex inductione priorum octo generalium conciliorum asserti veritas manifeste elucet.

3) *Nicuenam synodus patrum antiquorum instilisse vestigiis, dum impiam Arii haeresim condemna-*

vit, testis est *Athanasius*. *Pro certo*, inquit in ep. synod. ad *Jovinianum*, *scias*, *Auguste sanctissime*, *hanc ipsam fidem ab omni seculorum memoria praedicatam fuisse*. *Hanc confirmarunt sancti patres Nicaeae coacti*.

- II) Quam formam synodus C. P. adversus *Macedonianos* secuta fuerit, colligere est ex ep. *Theodosii*, qui synodum convocavit, et data ad *Macedonianos* episcopos divali, ut legitur apud *Sozom.* VII. 12., „jussit principes sectarum convenire. Deinde petiit, an existimarent, anti-„quos patres, qui ecclesiam rexerant ante dissidium illud . . . recte consensisse . . quod cum „illi concessissent, subjunxit: Examinemus ergo „doctrinam vestram ad illorum scripta: et, si cum „illis consenserit, retineatur; sin minus, abjiciatur.““
- III) Quid sit de concilio *Ephesino*, ex instituto tradidit *Vincentius*, singulorum patrum recensens nomina; quorum paelecta sunt testimonia adversus *Nestorianos*; de quibus cap. 42. erit sermo,
- IV) In concilio *Chalcedonensi*, sess. II. recitatis patrum scriptis, et *Leonis* epistola ad *Flavianum*, omnes episcopi conclamarunt: *Haec est patrum et apostolorum fides. Nos ita credimus. Qui non ita credit, anathema sit.*
- V) Patres concilii generalis V., quod est C. P. II., *Collatione* III. confessi sunt, se tueri fidem catholicam, in quatuor oecumenicis conciliis propositam; et amplecti doctrinam sanctorum patrum *Athanasi*, *Hilarii*, *Basilii*, *Gregorii Naz.*

et Nyss. Ambrosii, Augustini, Theophili, Jo Chrysostomi, Cyrilli, Procli ac Leonis. Addunt, illos, qui se ab horum doctrina separaverint, juste cum haereticis connumerari.

VI In Concilio C. P. III , oecumenico VI.. jugsit imperator Sess. III., ut monothelitae rem agerent ex probatis patrum testimo niis. *Sess. V. Macarius tria volumina protulit, referta testimoniis patrum, quae cum deprehensa fuerint multila, adulterata, omni dignitate et functione sauerdotali privatus est.* Sess. VII. testimonia Romanorum ex patribus adducta , inventa fuerunt authentica , atque ejus generis, ut duplarem in Christo voluntatem et operationem diligide demonstrarent.

VII) Quam in definiendis religionis controversiis sibi proposuerit sequendam regulam concilium generale VII. Nicaenum II., satis declarat formula fidei, attinens cultum imaginum. „*Recipimus, inquit patres Actione IV., pietosae et vivificae crucis figuram sanctorumque reliquias et eorundem imagines.* has amplectimur et salutamus ex sanctae Dei ecclesiae, veterique traditione nostrorum scilicet sanctorum patrum doctrina, quaeas suscepserunt, mandaruntque, ut in omnibus ecclesiis et in omnibus locis, in quibus Dei servitium persolvitur, ponerentur.

VIII) De concilio demum generali VIII. , C. P. IV. adnotasse sufficiat, *Actione X.*, praesente Basilio imperatore, promulgatos fuisse atque confirmatos Canones 24., secundum Anastasium

bibl. 27. Quos inter, qui primo loco ponitur, sancit, servanda esse decreta *omnium conciliorum*, nec non *doctrinam patrum*, et *traditionem* non scriptam.

3) *Novae appellationis proprietate etc.* Quamquam novitatibus in negotio religionis abstinendum esse, omnibus fere pagi is moneat *Vincentius*: largitur nihilominus, quod supra tradiderat, quaedam in ecclesia *nove* dici, integrum esse Christianis catholicis, immo ob emergentes haereses necessarium; quod hoc etiam loco repetit. Videtur autem *novae appellationis proprietate* intendere digitum ad *consubstantialis*, aut *Deiparae* vocabula, perperam impugnata ab *Arianis et Nestorianis*. Si enim, ut loquitur *Nazianzenus* Orat. XI., ita credendum est: cur non ita profitendum? Aug. Tract. 97. in Joannem: *Adversus impietatem Arianorum haereticorum novum nomen* (si tamen novum) *patres condiderunt, sed non rem novum*. Idem pari jure dicendum est adversus *Nestorianam* temeritatem. Neque praeterendum illud *Hilarii ad Constantium*, quod supra laudavimus: *Dic prius, si recte dici putas: Nolo adversus nova venena novas medicamentorum comparationes etc.* Quid juris ecclesiae sit, aut conciliis, dum de novis vocabulis quaestio est, aut symboli additamentis, exponit *Vigilius Lib. V. adv. Eutych. cap. 1. Nesciunt*, inquit, haeretici, qui calumniantur voces novas, *regulam et consuetudinem conciliorum catholicorum, sic nova a posterioribus conciliis, prout necessitas emergentium haereticorum exegerit, saneiri decreta; ut tamen invicta maneant, quae dudum in antiquioribus conciliis contra veteres*

haereticos fuerunt promulgata. Postea provocat ad opus aliud alieno nomine a se conscriptum: Quamquam, inquit, de conciliorum diversis sanctionibus et nominum religiose additis novitatibus plenissime in eis libris, quos adversus Sabellium, Photinum et Arium sub nomine Athanasii conscripsimus etc. In sequentibus compendii causa ncnnulla hinc delibat, et inculcat lectoribus, ut norint, quid juris sit ecclesiae in hujusmodi rebus.

C A P U T XXXIII.

Denuo elucidatur dictum Pauli 1.

Tim. IV. 20.

Sed ad apostolum redeamus. *O Timothee!* inquit, *depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* *Devita,* inquit, quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscum; ne te non solum tactu, sed etiam visu afflatusque percutiant. Quid est *devitare?* *Cum hujusmodi nec cibum sumere* (1. Cor. V. 11.) Quid est *devita?* *Siquis,* inquit, *venit ad vos, et hanc doctrinam non adfert.* Quam doctrinam, nisi catholicam et universalem et unam eandemque per singulas aetatum successio.

nes, incorrupta veritatis traditione manen-
tem, et usque in secula sine fine mansuram?
Quid tum? 1) *Nolite, inquit, eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis.* Qui enim illi dicit ave, communicat operibus ejus. Profanas, inquit, vocum novitates. Quid est profanas? Quae nihil habent sacri, nihil religiosi, ab ecclesiae penetralibus, quae est templum Dei, penitus extraneas. Profanas, inquit, vocum novitates. Vocab, id est, dogmatum, rerum, 2) sententiarum novitates, quae sunt vetustati atque antiquitati contrariae; quae si recipiantur, necesse est, ut fides beatorum patrum, aut tota, aut certe magna ex parte violetur; necesse est, ut omnes omnium aetatum fideles, omnes sancti, omnes casti, continentes, virgines, omnes clerici, levitae, et sacerdotes, tanta confessorum millia, tanti martyrum exercitus, tanta urbium, tanta populorum celebritas et multitudo, tot insulae, provinciae, reges, gentes, regna, nationes, totus postremo jam paene terrarum orbis, per catholicam fidem Christo capiti incorporatus, 3) tanto seculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse, quid crederet, pronuntietur.

1) *Nolite eum recipere in domum etc.* 2. Jo. 10.

11. De vitandis haereticis, si quidem sit periculum seductionis, multa occurunt apud veteres christianae

fidei magistros; velut apud *Irenaeum* III. 3. *Cyprianum* ep. 55. ad *Cornelium*; *Athanasium* in vita *Antonii* aliosque. *Augustinus* ep. 62. *Hæreticum*, inquit, *sicut vitandum monemus, ne infirmos et parvulos fallat: ita non abnuimus, quibuscunque modis possumus, corrigendum.*

- 2) *Sententiarum novitates etc.* Fides catholica, uti decrementum non patitur sacerorum dogmatum, numerum si species atque substantiam, ita nec recipit augmentum: dicente *Maxentio* in libello fidei cap. 1. *Catholicorum fidem augmentum aliquod posse recipere, improbum est credere.* Quia cum sit perfecta et plena in omnibus, augmentum recipere non potest. *Hoc enim sine dubio augmen-*
tum recipit, quod est imperfectum.
- 3) *Tanto seculorum tractu ignorasse etc.* Qui cum *Rösslero* in praef. ad Tom. X. *Patiol* fatentur, Lutherane ecclesiae dogmata in iis etiam, quae articulos fundamentales attinent, cum doctrina veteris ecclesiae non consentire, neque reperiri in tribus prioribus religionis a Christo fundatae seculis; ut inanem posuerint operam, qui *Lutheranismum cum Christianismo antiquo conciliare adnisi sunt*: qui, inquam, haec cum doctore *Tübingensi* fatentur, non possunt non fateri pariter, quod novatoribus objicit hoc loco *Vincentius*, catholicam Christi fidem *tanto seculorum tractu* Christiani nominis cultores ignorasse, errasse etc. et nescisse, quid crederent. Quis vere Christianus talia excipiet aequo animo? Quid de promissionibus divi is *Matth. XVI. 18.*?

C A P U T XXXIV.

*Haereticos novandi studio ferri,
exemplis probatur.*

*Profanas, inquit, vocum novitates devitae
quas recipere atque sectari nunquam catholi-
corum fuit. Et re vera quae unquam haere-
sis, nisi sub certo nomine, certo loco, certo
tempore ebullivit? Quis unquam haereses in-
stituit, nisi qui se prius ab ecclesiae catho-
licae universitatis et antiquitatis consensione
discreverit? Quod ita esse, luce clarius ex-
empla demonstrant. 1) Quis enim unquam
ante profanum illum *Pelagium* tantam vir-
tutem liberi praesumpsit arbitrii, ut ad hoc
in bonis rebus per actus singulos adjuvan-
dum necessariam Dei gratiam non putaret?
2) Quis ante prodigiosum discipulum ejus *Coe-
lestium* reatu praevaricationis *Adae* omne
humanum genus denegavit adstrictum? 3)
Quis ante sacrilegum *Arium* Trinitatis uni-
tatem discindere? 4) Quis ante sceleratum
Sabellium unitatis Trinitatem confundere,
ausus est? 5) Quis ante crudelissimum *Nova-
tianum* crudelem Deum dixit; eo quod mal-
let mortem morientis; quam ut revertatur et
vivat? 6) Quis ante magum *Simonem*, apo-*

stolica districione percussum, a quo vetus ille turpidinum gurges, 7) usque in novissimum *Priscillianum*, continua et occulta successione manavit, auctorem malorum, id est, scelerum, impietatum, flagitorumque nostrorum ausus est dicere creatorem Deum? Quippe quem asserit, talem hominum manibus ipsum suis creare naturam, quam proprio quodam motu et necessariae cuiusdam voluntatis impulsu nihil aliud possit, nihil aliud velit, nisi peccare; eo quod furiis vitiorum omnium exagitata, et inflammata in omnia turpidinum barathra inexhausta cupiditate rapiatur. Innumera sunt talia, quae brevitas studio praetermittimus; quibus tamen cunctis satis evidenter, perspicueque monstratur, hoc apud omnes fere haereses, quasi solemne esse ac legitimum, ut semper profanis novitatibus gaudeant; antiquitatis scita fastidiant; et per oppositiones falsi nominis scientiae a fide naufragent. Contra vero catholicorum hoc vere proprium, deposita sanctorum patrum, et commissa servare, damnare profanas novitates; et sicut dixit, atque iterum praedixit apostolus: *Siquis annuntiaverit, praeterquam quod acceptum est; anathema sit.*

1) *Quis ante profanum illum Pelagium etc. Sublata Christi gratia, cuius necessitatem negavit Pelagius*

gius, quid est christianismus? gentilismo haud assimilis est, ac profanae religioni. Unde opinor, factum esse, ut *Vincentius Pelagium* appellaret *profundum*. Evidem *Hieronymus* in epistola ad *Ctesiphontem* Pelagiani erroris principem dicit *Origenem*, et exclamat: *Tua, Pelagi, doctrina Origenis ramusculus est*, suo tamen sensu *primus haereseos conditor* recte dicitur *Pelagius*, quod ad scitis discipulis et sectatoribus conflaverit peculiarem *sectam*, latiusque propagaverit.

2) *Quis ante prodigiosum . . Coelestium etc.* Teste *Mario Mercatorc* in Comment. ad *Pintam*, erat *Coelestius naturae vitio eunuchus matris utero editus*. Quam ob rem *monstruosus aut prodigiosus* fortasse dictus *Vincentio*; ut post *Garnarium* patres *Maurini* verisimile putant, notante *Salina* ad hunc locum. Ante *Coelestium pernegati dogmatis de originali peccato rei aguntur Theodorus Mopsuestenus, Rufinus et Origines*, quem *Hieronymus Lib. III. dial. contra Pelagianos nuncupavit Pelagianorum Amasium*.

3) *Quis ante sacrilegum Arium etc.* Male audierunt *Huetius* in *Origenianis Lib. II. cap. 2.* et *Petavius Lib. I. de Trin. cap. 3. seqq.*, quod quoramdam veterum patrum, qui *Nicaenam synodus praecesserunt*, fidem de Filii divinitate in dubium revocaverint. Quanquam *Petavius*, quae imprudenti exciderant, explicare mitius visus est in *praef. ad Tom. II. de Trin.*

4) *Quis ante sceleratum Sabellium etc.* *Hieronymus* in *dial. adv. Lucif.* ait: *In tribus vocabulis trinominem esse credens Deum, in Sabellii hue-*

res incurrat; quam trionymum appellavit Sulpicius Lib. II. Hist. sacr., quod in una substantia tres duntaxat agnosceret nomenclaturas.

- 5) *Quis ante crudelissimum Novatianum etc.* Ambiverat *Novatianus* sec. III. Romanum episcopatum. Spe frustratus una cum *Novato*, Carthag. presbytero, schisma excitavit, unde haeresis *Novatiana* nomen habet: cuius capitale erat dogma, in persecuzione lapsis veniam ab ecclesie dari non posse; quem errorem ad alia quoque graviora crisi in *Novatiani* sectatores extenderunt; quamvis peccata omnia a *Dei misericordia* remitti posse non negarent; unde etiam peccatores ad divinam justitiam piis operibus placandam majorem in modum hortabantur. Quiunque de his plenius erudiri cupit; consultat *Augustini Orsi dissertationem hist. de capitalium crisi inum absolutione.*
- 6) *Quis ante magum Simonem etc.* Verbis sequentibus: *Apostolica distinctione percussum etc.* vindetur ianuere *Vincentius* id, quod de *Simonis* volatu et lapsu ad preces *Petri* apostoli *Romae* contigisse dicitur, referturque a *Damaso* in vita *Petri*, a *Cyrillo Hieros.* catech. VI., *Epiph.* haer. 21. *Arnob.* Lib. II. contra gentes; *Sulpicio Severo* Lib. II. cap. 28. *Eusebius* asserit, id accidisse regnante *Claudio*; *Augustinus* vero factum refert ad imperium *Neronis*. Non ignoramus, esse recentiores criticos, qui fabulis annumerant, quidquid ea de re narratur.
- 7) *Usque in novissimum Priscillianum etc.* *Augustinus*. *Priscillianistarum enarrans haeresin*, cap.

70. assertit, eam esse colluviem ex *Gnosticorum, Manichaeorum* aliorumque haereticorum sordibus. Ut turpitudines suas occultarent, valuisse ipsis pro lege vulgatum illud: *Jura, perjura, secretum prodere noli.* *Augustinus* equidem longa serie recenset *fabulosa, vana, sacrilega*: at quae turpia factu sunt, et dictu foeda, reticet, pudore prohibitus. Aequo est parcus in his, quae *Priscilliani* personam, indolem, vitam et mortis genus attinent. Copiosior in his est *Sulpicius*. Delibamus nonnulla: Erat *Priscillianus*, natione Hispanus, familia nobilis, praedives opibus, acer, inquies, facundus, multa lectione eruditus, disserendi ac disputandi promptissimus. Prorsus multa in eo animi et corporis bona. Vigilare multum, famem ac sitim ferre poterat, habendi mihi cupidus, utendi parcissimus. Sed idem vanissimus et plus justo inflatior profanarum rerum scientia. Is ubi doctrinam exitiabilem aggressus est, Marco potissimum praceptor Aegyptio, multos nobilium, pluresque populares ac mulieres novarum rerum cupidas, imo et episcopos allicuit in societatem; ut perfidiae tabes pleraque Hispaniae pervaserit. In concilio *Caesar-august. damnatus Priscillianus* malis suorum artibus promotus est ad episcopatum *Labiensem* (aliis *Abulensem*). *Gratiani* imp. edicto expulsi regno Hisp. *Priscillianistae*; paulo autem post restituti sedibus suis. Causa eadem agitata denuo, refertur ad imperatorem; qui capitum damnavit *Priscillianum* cum praecipuis sectae ducibus. De omni hac tragedia ita demum pronuntiat *Sulpicius*: *Ac mea quidem sententia est, mihi tam reos quam accusatores displicere.*

Velim conferas ejus Hist. sacr. Lib. II. irca finem;
ubi haec omnia pluribus verbis ac ornatioribus edis-
serit.

C A P U T XXXV.

*Haereticos scripture uti et abuti,
demonstratur exemplis.*

Hic fortasse aliquis interroget, an et haeretici divinae scripturae testimonii usantur. 1) Utuntur plane, et vehementer quidem. Nam videas, eos volare per singula quaeque sanctae legis volumina, per Moysi, per regum libros, per psalmos, per apostolos, per evangelia, per prophetas. Sive enim apud suos, sive alienos, sive privatim, sive publice, sive in sermonibus, sive in libris, sive in conviviis, sive in plateis, nihil unquam paene de suo proferunt, quod non etiam scripturae verbis adumbrare conentur. Lege 2) Pauli Samosateni opuscula, 3) Priscilliani, 4) Eunomii, 5) Joviniani, 6) reliquarumque pestium; cernas infinitam exemplorum congeriem, prope nullam omitti paginam, quae non novi, aut veteris testamenti

sententii fucata, et colorata sit. Sed tanto magis cavendi, et pertimescendi sunt; quanto occultius sub divinae legis umbraculis latitant. Sciunt enim, foetores suos nulli fere esse placituros: si nudi et simplices exhalentur: atque idcirco eos coelestis eloquii velut quodam aromate aspergunt, ut ille, qui humanum facile despiceret errorem, divina non facile contemnat oracula. Itaque faciunt, quod hi solent, qui ⁷⁾ parvulis austera quedam temperaturi pocula, prius horas melle circumlinunt, ut incauta aetas, cum dulcedinem praesenserit, amaritudinem non refomidet. Quod etiam iis curae est, qui mala gramina et noxios succos medicaminum vocabulis praecolorant: ut nemo fere, ubi supra scriptum legerit remedium, suspicetur vene-

ui

¹⁾ Utuntur plane etc. Haereticos divinis scripturis uli et abuti, traditur vulgato axiomate: *Haereses non sunt natae nisi ex scripturis sacris, male intellectis*; quod suo testimonio confirmat beatus *Vigilius*: *Varias* quidem, inquit Lib. II. adv. *Eutychen* cap. 1. et diversus, ex uno tamen perfidae fonte haereticae pravitatis error emersit: *cardo enim pessimus, et origo malorum, quae ex sese cunctarum impietatum occasiones peperit, haec est, dum coelestium dictorum virtus vitio malae intelligentiae temerata, non secundum sui qualitatem sensus perpenditur; sed in*

alias res, pro arbitrio et voluntate legentis, secus quam veri ratio postulat, derivatur. Et hoc ex omnium haereticorum commentis cuique deprehendere facile est.

- 2) *Pauli Samosateni opuscula etc.* Aetate Vincen-
tii haud dubie adhuc extiterunt; dum ad eorum lec-
tionem provocat. Apud Mansi Tom. I. Conc. pag.
1032. invenire est reliquias eorum nonnullas.
- 3) *Priscilliani etc.* De quo sermo erat capite pree-
cedente. Primus is erat, qui haereseos causa capititis
damnatus est quarto vergente seculo. Scripsit
opuscula plura, velut legitur apud Hieron. de
viris illustribus cap. 121. Fragmentum quoddam,
eeteris injuria temporum deperditis, occurrit in Oso-
rii commonitorio apud Aug. Tom. VIII. pag. 1433.
Id quod huc spectat de Priscillianistis ex eodem
Augustino lubet adjungere: *Nihil, inquit haer. 70.,*
scripturarum canonicarum repudiant simul
cum apocryphis legentes omnia, et in auctori-
tate sumentes; sed in suos sensus allegorizando
vertentes; quidquid in sanctis libris est, quod
eorum evertat errorem.
- 4) *Eunomii etc.* Ad nostram aetatem non pervene-
runt, nisi *confessio fidei et Apologeticus*. Utrum-
que libellum intulit Fabricius bibliothecae graecae
Vol. VIII. *Caveus* in hist. litter. exhibet utriusque
opusculi initium duntaxat et finem. In deperditis
numerantur ejus *epistolae*, *apologeticus* alter, et
expositio epistolae ad Romanos.
- 5) *Joviniani etc.* Ex Joviniani duobus libris, quos
refutavit *Hieronymus*, pauca supersunt; praeter ea,

quae refert *Hieronymus* Lib. I. *adversus Jovinianum* cap. 1.

- 6) *Reliquarumque pestium etc.* *Tertullianus* tribus integris capitibus 38. 39. 40. de praescript. expōnit, quam variis modis haeretici corrumpere soleant scripturam sacram, ejusque germanum sensum adūtantur depravare, ad suos venditandos errores, incautosque decipiendos.
- 7) *Parvulis austera quaedam etc.* Eadem fere similitudine ad declarandas haereticorum fraudes usus est *Cassianus*: *Ora*, inquit Lib. VII. de int̄arn. cap. 3., quodammodo poculi pestilentis dulcedine quadam, et quasi melle circumlinis, ut haurientes ingestum poculum homines, dum illecebrosa degustant, perniciose non sentiant. Antea dixerat: *Veneficorum quorundam*, ut ajunt, consuetudo est, ut in poculis, quae conficiunt, venenis mella permisceant, ut dulcibus nocitura celentur: et dum quis mellis dulcedine capit, veneni peste perimatur.

C A P U T XXXVI.

*Parabola de lupis in vestimentis ovium
haereticorum fallacias declarat.*

Inde denique et Salvator clamabat: *Attendite vobis a pseudo-prophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium; ab intus autem sunt lupi rapaces* (Matth. VII. 15.) 1) Quid est vestitus ovium, nisi prophetarum et apostolorum proloquia, quae iidem ovili quadam sinceritate, agno illi immaculo, qui tollit peccatum mundi, tanquam vellera quaedam texuerunt? Qui sunt lupi rapaces, nisi sensus haereticorum feri et rabidi, qui caulas ecclesiae semper infestant, et gregem Christi, quaqua possunt, dilacerant? sed ut fallacius incautis ovibus obrepant, manente luporum ferocia, deponunt lupinam speciem, et sese divinae legis sententiis, velut quibusdam vel leribus obvolvunt: ut, cum quisque lanarum mollitiem praesenserit, nequaquam aculeos dentium pertimescat. Sed quid ait Salvator? 2) *Ex fructibus eorum cognoscetis eos;* id est, cum cooperint divinas illas voces non iam proferre tantum: sed etiam interpretari: tunc amaritudo illa, tunc acerbitas, tunc rabies intelligetur: tunc novitium virus exhalabitur: tunc primum scindi sepem videas, tunc trans-

ferri patrum terminos, tunc catholicam fidem caedi, tunc ecclesiasticum dogma lacrari.

1) *Quid est vestitus ovium etc.* Eodem plane modo ante *Vincentium* propositam Christi doctrinam exposuit *Tertullianus* cap. 4. de praescript. *Quae-nam*, inquit, *sunt pelles ovium, nisi nominis Christiani extrinsecus superficies?* Qui lupi rapaces, nisi sensus et spiritus subdoli, ad infestandum gregem Christi intrinsecus delitescentes: quos postea vocat *pseudoprophetas, falsos praedicatores, pseudapostolos, adulteros evangelizatores, Antichristos etc.* His consona sunt, quae habet *Cyprianus* Lib. adversus *Novatianum* haereticum: *Praedixerat, inquit, Dominus, multos esse venturos sub pellibus ovium rapaces lupos.* Qui sunt isti rapaces lupi, nisi sensu subdolo oonspirantes ad infestandum gregem Christi? Eadem inculcat in libro de zelo et livore pag. 467. ed. *Oberthür.*

2) *Ex fructibus eorum cognoscetis eos etc.* Intelligit *Vincentius* nomine *fructuum*, ex quibus agnoscendi sint ementiti prophetae, nova dogmata, quae prae dicant, opposita avitae majorum fidei. Recte id quidem. At neque contemnenda est, neque contraria *Vincentianae* interpretationi expositio patrum atque interpretum aliorum, qui per fructus mores intelligunt fallacium doctorum. Eam in rem scribebat *Vigilius* Lib. V. contra *Eutych.* cap. 1. „Sciens beatus apostolus *Paulus* profana et noxia lethalis doctrinae instituta posse veri specie obum-

„brari, et latentibus intrinsecus dolis, arguta verbo-
 „rum superficie serpentinae grassationis virus obduci,
 „nec facile veneniferum poculum, mellis dulcedine
 „oblitum, sive permixtum, in ipso primo libantis gustu
 „sentiri atque discerni; magnum nobis et singulare in-
 „dagandae fraudis indicium dedit: ut ex eujusque
 „doctoris morum qualitate doctrinae sinceritas ex-
 „ploretur.“ Si itaque constet, suspicione avaritiae,
 superbiae, adulacionis, aliisve vitiis laborare eos,
 qui novare dogmata, aut reformare religionem prae-
 sumunt: cogitandum est de *lupis sub ipellibus*
opinis.

C A P U T XXXVII.

*Pergit agere de pseudo-apostolis, scripta-
 rae saerae interpretibus non bonis.*

Tales erant ii, quos percutit apostolus *Paulus* in secunda ad *Cōrinthios* epistola dicens: *Nam ejusmodi*, inquit, *pseudoapostoli sunt operarii subdoli*, 1) *transfigurantes sē in apostolos Christi?* Proferebant apostoli psalmorum auctoritates; proferebant et illi. Proferebant apostoli sententias prophetarum; et illi nihilominus proferebant. Sed cum ea, quae similiter protulerant, interpretari non simili- ter coepissent: tunc simplices a subdolis,

tunc infucati a fucatis, tunc recti a perversis, tunc postremo veri apostoli a falsis discernebantur. *Et non mirum, inquit, ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis.* Non est ergo magnum; si mi istri ejus transfigurantur sicut ministri justitiae. Ergo secundum apostoli *Pauli* magisterium, quotiescumque vel pseudoapostoli, vel pseudoprophetae, vel pseudodoctores divinae legis sententias proferunt, quibus male interpretatis errores suos adstruere conentur: 2) non dubium est, quin auctoris sui callida machinamenta sectentur, quae ille nunquam profecto comminisceretur; nisi sciret, omnino nullam esse ad fallendum faciliorem viam, quam ut, ubi nefarii erroris subinducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum praetendatur auctoritas. Sed dicet aliquis: Unde probatur, quia 3) sacrae legis exemplis diabolus uti soleat? Legat evangelia, in quibus scribitur: *Tunc assumpsit illum diabolus, id est, Dominum salvatorem; et statuit illum super pinnam templi: et dixit ei: si filius Dei es: mitte te deorsum.* Scriptum est enim, quod angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Quid hic faciet misellis homi ibus, qui ipsum Dominum majestatis scripturarum testimoniis appetivit? Si, inquit, filius Dei

es.: mitte te deorsum. Quare? Scriptum est enim, inquit. Magnopere nobis doctrina loci istius attendenda atque retinenda est, ut tanto evangelicae auctoritatis exemplo, quando aliquos apostolica, seu prophetica verba proferre contra catholicam fidem viderimus, diabolum per eos loqui imme dubitemus. Nam sicut iunc caput capiti, ita nunc quoque membra membris loquuntur, membra scilicet diaboli membris Christi, perfidi fidibus, sacrilegi religiosis; haeretici postremo catholicis. Sed quid tandem dicunt? *Si, inquit, filius Dei es: mitte te deorsum: hoc est, si filius esse vis Dei, et haereditatem regni coelestis accipere, mitte te deorsum, id est, ex istius te sublimis ecclesiae, quae etiam templum Dei putatur, doctrina et traditione demitte. Ac si quis interroget quemdam haereticorum sibi talia persuadentem: Unde probas, unde doces, quod ecclesiae catholicae universalem et antiquam fidem dimittere debeam: statim ille: Scriptum est enim. Et continuo mille testimonia, mille exempla, mille auctoritates parat de lege, de psalmis, de apostolis, de prophetis, quibus novo et malo more interpretatis, ex arce catholica in haereseos barathrum infelix anima praecipitatur. Jam vero illis, quae sequuntur, promissionibus miro modo incautos homines haeretici decipere consueverunt. Audent etenim,*

polliceri, et docere, quod in ecclesia sua, id est, in communionis suae conventiculo, magna et specialis ac plane personalis quaedam sit Dei gratia; adeo ut sine ullo labore, sine ullo studio, sine ulla industria; etiamsi nec petant, nec quaerant, nec pulsent, quiunque illi ad numerum suum pertinent, tamen ita divinitus dispensentur, ut angelicis evecti manibus, id est, angelica protectione servati, nunquam possint offendere ad lapidem pedem suum, id est, nunquam scandalizari.

3) *Transfigurantes se in apostolos Christi etc.* 2.

Cor. XI. 13. et in sequente commate: *Ipse satanas transfigurat se in angelum lucis.* Quae in verba commentans *Cyprianus* de unitate ecclesiae cap. 2. scribebat de doctoribus adulteriis: *Asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem pro obtentu spei, perfidiam sub praetextu fidei, antichristum sub vocabulo Christi, ut, dum verisimilia rentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur.*

2) *Non dubium est, quin auctoris sui etc.* Vocabulo *auctoris* designari hoc loco cacodaemonem, verborum textus satis declarat. *Pseudodidascalos esse imitatores maligni genii, cane pejus et angue fugiendos, monet heatus Cyprianus:* *Vitate, inquit ep. 40., lupos, qui oves a pastore secernunt. Vitate linguam diaboli venenatam, qui ab initio mundi fallax semper, et mendax.*

mentitur, ut fallat, blanditur, ut noceat, bona promittit, ut malum tribuat, vitam pollicetur, ut perimat.

3) *Sacrae legis exemplis diabolus etc.* Divinarum litterarum oraculis uti, et abuti daemone in, coaevus *Vincentio Cassianus* tradidit lib. VII, de incarn. cap. 3., ostenditque adductis verbis evangelicis, *Matth.* IV. aut *Luc.* IV. 1. seq. veteratorem stygium mala fide egisse; dum adduceret verba psalmi 90. *Angelis suis mandavit de te etc.* Reprehendit dolosum exegetam, quod cohaerentia et subiecta callide dissimulaverit. Eadem reprehendens in haereticis: *Video, inquit ad Nestorium, u qua doctus es, corrumpere scripturarum sensum; illius enim credendus es, habere institutionem; cujus sequeris exemplum. Sic enim diabolus in evangelio tentans Deum: Si filius, inquit, Dei es etc.* Paulo autem ante hunc in modum compellaverat *Nestorium*: *Cur ergo, haeretice, non hoc modo, quae in apostolo legeras, incolumia. et inviolata posuisti? sed partem ingeris; partem subtrahis: et ut adstruere falsitatem per scelus possis, veritatis verba furaris,*

4) *Illis, quae sequuntur, promissionibus etc.* Ea, quae hinc ad finem usque istius capituli disputantur, istiusmodi sunt, ut praeceteris ansam praebeueriat *Norisio*, annumerandi *Vincentium* scholae *Semipelagianae* doctoribus. Quicunque enim in id genus controversiis rudis non fuerit, non negabit, loqui, aut sentire auctorem nostrum cum *Semipelagianis*; velut in prolegomenis monuimus suo loco. Legebant *Semipelagiani*, quorum princeps erat *Cassianus*.

nus, sancti Augustini libros, non ut discerent: sed ut contradicerent et accusarent haereticae pravitatis, velut appareat ex pericopa hujus capitii, in qua versamur. Modestissimus Augustinus, in omni illa cum Semipelagianis habita concertatione, ab acerbitate gravioris censurae sedulo abstinens, postremis verbis, quasi valedicturus Semipelagianis librum de dono perseverantiae ita finiit: Qui vero errare me existimant, etiam utque etiam diligenter, quac sunt dicta, considerent; ne fortassis ipsi errant.

C A P U T XXVIII.

Regulae discernendi doctrinam orthodoxam a falsa.

Sed dicet aliquis: si divinis eloquiis, sententiis, promissionibus et diabolus et discipuli ejus utuntur: quorum alii sunt pseudopostoli, alii pseudoprophetae et pseudomagistri, et 1) omnes ex toto haeretici: quid faciant catholici homines et matris ecclesiae filii? Quonam modo in scripturis sanctis veritatem a falsitate discernent? Hoc scilicet facere magnopere curabunt, quod 2) in principio commonitorii istius sanctos et doctos viros nobis tradidisse scripsimus; ut divinum

canonem secundum universalis ecclesiae traditiones et juxta catholici dogmatis regulas interpretentur; in qua item catholica et apostolica ecclesia sequantur universitatem, antiquitatem, 3) consensionem. Et si quando pars contra contra universitatem, novitas contra vetustatem, unius vel paucorum errantium dissensio contra omnium, vel certe multo plurium catholicorum consensionem rebellaverit: praeferant partis corruptioni universitatis integritatem; in qua eadem universitate novitatis profanitati antiquitatis religionem; itemque in ipsa vetustate unius, vel paucissimorum temeritati primum omnium generalia, siqua sunt, universalis concilii decreta praeponant; tunc deinde, si id minus est, sequantur, quod proximum est, multorum atque magnorum consentientes sibi sententias magistrorum. Quibus, adjuvante Domino, feliciter, sobrie, sollicite observatis, non magna difficultate, noxios quosque exsurgentium haereticorum deprehendemus errores.

1) *Omnis ex toto haeretici etc.* Haeretici nomen erat olim vox media; neque in deteriorem semper partem sumebatur, ut videre est apud *Svicerum* in thesauro eccles. Stricte ac proprie nunc fere accipitur pro eo, qui dogma aliquod christianaee religioni certum, et eliquatum non recipit. In ecclesia Christi a primis seculis ad haec usque tempora existisse

haereticos, qui doctrinis fallacibus turbarunt gregem dominicum, nemo ibit inficias, quicunque in scripturis sacris et annalibus ecclesiasticis plane rudis non fuerit. Haereticorum in numerum referri a *Vincen-*
tio pseudoapostolos, pseudoprophetas, pseudoma-
gistros, de quibus agit hoc capite, improbabit ne-
mo, iis fortasse solum exceptis, qui in tradenda re-
ligione istiusmodi principia adoptant, ex quibus con-
sequens est, vanum esse haereticorum nomen, phan-
tasma, et inane spectrum. Tentur novatores, ex
unis scripturis sacris sperandam esse veritatem; hinc-
que haurienda esse christianae religionis dogmata. Es-
se privatum quemlibet, discrimine nullo, divini codi-
cis interpretem legitimum; relatumque esse unius-
cujusque arbitrio, seligere, et amplecti dogmata,
quae in sacris voluminibus sibi visus est perspexisse;
rejicere autem alia, de quibus aliter judicaverit. Qui-
cunque hanc methodum spectaverit mente praejudi-
catis opinionibus libera, sincere, ut par est, agere
si velit, ultiro fatebitur, hinc consequi, haereticos in
ecclesia christiana dari non posse. Quidquid enim sen-
seris de rebus religionem attinentibus; quidquid cre-
dideris, vel non credideris; impune senties, credes,
aut non eredes: quin heterodoxiae causa negotium
tibi facessi jure possit. Siquidem sit unusquisque
suae fidei judex, aut arbiter, et cum, quod uni licet,
liceat omnibus; nemo unus haeretici nominis appella-
tione notandus, utut refragetur scripturac sacrae et
omni retro traditioni ecclesiasticae. En quo ducat
neoterica haec methodus tradendae religionis, inveni-
endaeque veritatis! Quanto firmioribus res catholice-
rum fundamenta ititur!

2) *In principio commonitorii istius etc.* De ceteris, quae hoc capite continentur, actum est plenius præcedentibus capitulois 3. 4. 5. et seq. ad quaq; ve-
lim redeas.

3) *Consensionem etc.* Consensum omnium maximi momenti esse, et vel solum sufficere ad confutandas haereses, præclara sententia enuntiat Cassianus: *Sufficere ergo*, inquit L. I. de incarn. cap. 3:, *solus nunc ad confutandam haeresin deberet consensus omnium*; *quia indubitatae veritatis manifestatio est auctoritas universorum*; *et perfecta ratio facta est*, ubi nemo dissensit; ita, ut, qui contra hoc sentire nitatur, hujus prima statim fronte non tam sit audienda assertio, quam damnanda perversitas: *quia præjudicium secum damnationis exhibuit*, qui *judicium universitatis impugnat*; *et audientiae lacum non habet*, qui a cunctis statuta convellit. Confirmata enim semel ab omnibus veritate, quidquid contra id venit, hoc ipso statim falsitas esse noscenda est; quod a veritate dissentit. Ac per hoc sufficere ei etiam id solum convenit ad sententiam damnationis, quod discrepat a judicio veritatis.

C A P U T XXXIX.

Praescribit leges de usu patrum contra haereticos.

Hic jam consequens' esse video, ut exemplis demonstrem, quonam modo profanae haereticorum novitates, probatis atque collatis veterum magistrorum concordibus sibi met' sententiis et deprehendantur, et condennantur. Quae tamen antiqua sanctorum patrum consensio 1) non in omnibus divinae legis quaestiuculis; sed solum, certe praecipue 2) in fidei regula magno nobis studio et investiganda est et sequenda. Sed neque semper, neque omnes haereses hoc modo impugnandae sunt; sed novitiae recentesque tantummodo, cum primum scilicet exoriuntur; antequam infalsare vetustae fidei regulas ipsius temporis vetantur angustiis; ac priusquam, manante latius veneno, 3) majorum volumina vitiare conentur. Ceterum dilatatae et inveteratae hereses nequaquam hac via aggrediendae sunt; eo quod prolixo temporum tractu longa iis 4) fruendae veritatis patuerit occasio. Atque ideo quascunque illas antiquiores vel schismatum, vel haereseon profanitates nullo modo nos oportet, ni-

si 5) aut sola, si opus est, scripturarum auctoritate convincere, aut certe jam antiquitus universalibus sacerdotum catholicorum conciliis convictas damnatasque vitare. Itaque cum primum mali cujusque erroris putredo erumpere cooperit, et ad defensionem sui quaedam sacrae legis verba furari, eaque fallaciter et fraudulentur exponere, statim 6) interpretando canoni majorum sententiae congregandae sunt, quibus illud, quodcunque exurget novitium, ideoque profanum, et absque ulla ambage prodatur, et sine ulla retractatione damnetur. 7) Sed eorum duntaxat patrum sententiae conferendae sunt, qui in fide, et communione catholica sancte, sapienter, constanter viventes, docentes et permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum est, ut, quidquid vel omnes vel plures uno, eodemque sensu, manifeste, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo ratoque habeatur; quidquid vero, 8) quamvis ille sanctus et doctus, quamvis episcopus, quamvis confessor et martyr praeter omnes, aut etiam contra omnes senserit; id inter proprias, et occultas et privatas opiniunculas a communis et publicae, generalis sententiae

auctoritate secretum sit ; ne cum summo aeternae salutis periculo , juxta sacrilegam haereticorum et schismaticorum consuetudinem , universalis dogmatis antiqua veritate dimissa , unius hominis novitium sectemur errorem.

- 1) *Non in omnibus divinae legis quaestiunculis etc.*
In divinis libris occurunt multa , in quibus exponendis versati sunt patres , de rebus ad artes profanas spectantibus , cuiusmodi sunt grammatica , rhetorica , physica , critica , chronologia , geographia , aliaeque id genus . In hujusmodi disciplinis , et quaestiunculis , ut *Vincentius* vocat , patres saepius cespitasse ; et non raro lapsos esse in defectus manifestos , nemo , cui veritas cordi est , pernegabit ; sed sincero potius , quod res est , profitebitur .
- 2) *In fidei regula etc.* Secus statuendum est scientia patrum , quae est divinorum dogmatum , legum moralium cognitio , atque traditio ; per quam aut exponuntur , aut confirmantur , aut svadentur , quae Deus per scripturas sacras et voce Unigeniti sui credenda atque agenda mandavit ecclesiae suisque fidelibus . Quam quidem in rebus dogmatici sanctorum patrum consensionem magno studio monet esse indagandam *Vincentius* . Quando autem , aut quibus potissimum haereticis opponenda sit , mox subjungit :

- 3) *Majorum volumina vitiare et.* Hortatur *Lorenensis* , ut novae haereses in primis quasi incunabulis vagientes mox suffocentur ; antequam invalescant ; atque ex temporis tractu accipient robur : dum

novorum dogmatum magistri, ad conciliandam sibi, suisque erroribus fidem, summa perfidia vitiare adnuntiatur veritatis monumenta, et scripta majorum. Id sibi in usu habuisse haereticos, ut sanctorum patrum commentaria adulterarent, cap. 18. de praescript. conquestus est *Tertullianus*: *quibus, inquit, fuit propositum, aliter docendi: eos necessitas coegerit, aliter disponendi instrumenta doctrinae.* *Alius enim non potuissent aliter docere; nisi aliter haberent, per quae docerent haeresin.*

4) *Fruendae veritatis etc.* Alii legunt: *Furandae etc.* Utraque lectio displicet; nec satis congruit cum praecedentibns; ubi loquitur de haereticorum malis artibus in corruptis veterum codicibus. Quid? si legeretur: *Fucandae.* Magis id quidem cum tex- tu cohaerere arbitror, ut legenti palam est.

5) *Aut sola, si opus est, scripturarum auctori- tate etc.* Aliter ea de re sentit *Tertullianus*. Vult, ex scripturis non esse disputandum cum haereticis. Caput enim XIX. de praescrip. ita orditur: *Non ad scripturas provocandum est; nec in his consti- tuendum certamen, in quibus aut nulla, aut inverta victoria est, aut parum certa.* Capite autem XVII. praemiserat hujus asserti rationes varias. Quid enim ex scripturis, aut quo fructu disputabis adversus haereses? „Ista haeresis non recipit „quasdam scripturas: et si quis recipit; adjectionibus, „et detractionibus, ad dispositionem instituti sui in- „tervertit: et si recipit, non recipit integras: et si „aliquatenus integras praestat; nihilominus diversas „expositiones commentata convertit. Tantum veri- „tati obstrepit adulterus sensus, quantum et corruptor

stylus etc.“ Quam ob rem initio ejusdem capituli scripserat: *Nihil proficit congressio scripturarum nisi plane ut aut stomachi quis ineat conversionem, aut cerebri.*

- 6) *Interpretando canonis majorum sententiae congregandac etc.* Idem post antiquiora concilia, quae *Canus* refert Lib. VII. de auctoritate sanctorum cap. 3., apertius definit Synodus Trid. Sess. IV.
- 7) *Sed eorum duntaxat patrum etc.* In scientia divinorum dogmatum excelluerunt atque excellunt illi, qui nomine sanctorum patrum, ab ecclesia tamen (loquimur cum *Muratorio* Lib. III. de ingen. mod. cap. 16.) non a vulgo donati sunt. Intercedit quippe non exiguum discrimen inter eosdem, cum vulgo sancti patres appellantur, quicunque christiani scriptores doctrina vel antiquitate conspicui fuerunt; ut *Tertullianus*, *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, *Lactantius*, *Eusebius*. Nos vero eos hic tantum intelligamus, quos ecclesia ipsa probavit, atque sinceros, ac eruditos suae, seu potius apostolicae et christianaे doctrinae testes, magistros, et iudices esse declarat; quales sine controversia sunt *Athanasius*, *Basilius*, *Nazianzenus*, *Nyssenus*, *Chrysostomus*, *Cyrillus*, *Alexandrinus*, *Hilarius*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Augustinus*, *Leo*, *Gregorius* aliique similes, sanctissimi aequē et doctissimi viri; qui, ut loquitur *Vincentius*, in fide et communione catholica sancte, sapienter, constanter viventes, docentes et permanentes, vel mori in Christo fidéliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt:

8) *Quamvis ille sanctus et doctus, quamvis episcopus etc. Qui commonitorium doctrinae Augustiniana oppositum esse arbitrantur, hoc pariter loco opinionem suam suffulciunt. Nos vero ad Vincentianum hoc dictum, id solum adnotamus, similiter phrasi usum esse Tertullianum de praescriptiis cap. 3. Quid ergo, inquit, si episcopus, si diaconus, si vidua, si virgo, si etiam martyr lapsus a regula fuerit; ideo haereses veritatem videbuntur obtinere?*

C A P U T X L.

*De ecclesiae docentis auctoritate ex
I. Cor. XII. etc.*

Quorum beatorum patrum sanctum, catholicumque consensum nequis sibi temere contemnendum forte arbitretur, ait in prima ad Corinthios apostolus: 1) *Et quosdam posuit Deus in ecclesia primum apostolos (quorum ipse unus erat) secundo prophetas (qualem in actibus apostolorum legimus Agabum) tertio doctores, qui tractatores nunc appellantur; quos hic idem apostolus etiam prophetas interdum nuncupat; eo quod per eos prophetarum mysteria populis aperiantur.* Hos ergo in ecclesia Dei divinitus per tem-

pora, et loca dispensatos quisquis in sen-
su catholici dogmatis unum aliquid in Chri-
sto sentientes contempserit, non hominem
contemnit, sed Deum: a quorum veridica
veritate nequis discrepet, impensius obtes-
tatur idem apostolus, dicens (*1 Cor. I. 10.*)
Obsecro autem vos, fratres, ut idipsum dica-
tis omnes: et non sint in vobis schismata: si-
tis autem perfecti in eodem sensu et in eadem
sententia. Quodsi quis ab eorum sententiae
communione desciverit: audiet illud ejusdem
*apostoli (*1. Cor. XIV. 33.*) Non est Deus dis-*
sensionis; sed pacis: id est, non est ejus,
qui a consentiendi unitate defecerit; sed eo-
rum, qui in consentiendi pace permanserint;
sicut in omnibus, inquit, ecclesiis sanctorum
doceo; id est, catholicorum, quae ideo sanc-
tae sunt, quia in fidei communione persi-
stunt. Et ne quis forsitan, praetermissis ce-
teris, se solum audiri, sibi soli credi arro-
*garet, paulo post ait (*1. Cor. XIV. 36.*). An a*
vobis, inquit, verbum Dei processit: aut in
vos solos devenit? Et ne hoc quasi perfuncto-
rie acciperetur, adjecit: quis, inquit, vide-
tur propheta esse aut spiritalis; cognoscat,
quae scribo vobis; quia Domini sunt manda-
ta. Quae utique mandata, nisi ut, quis
est propheta, aut spiritalis, id est, spiri-
talium rerum magister, summo studio aequi-
tatis et veritatis cultor existat; ut scilicet

neque opiniones suas ceteris praeferat, et ab universorum sensibus non recedat. Cujus rei mandata (*1. Cor. XIV. 38.*) qui ignorat, ignorabitur, id est, qui aut nescita non disicit, aut scita contemnit, ignorabitur, hoc est, indignus habebitur, qui inter unitos fide et exaequatos humilitate divinitus respiciatur: quo malo nescio, an quidquam acerbius cogitari queat. Quod tamen juxta apostolicam comminationem 2) *Pelagiano* illi provenisse cernimus *Juliano*, qui se collegarum sensui, aut incorporare neglexit, aut exorporare praesumpsit. Sed jam tempus est, ut pollicitum proferamus exemplum, ubi, et quomodo sanctorum patrum sententiae congregatae sint, ut secundum eas ex decreto, atque auctoritate concilii ecclesiasticae fidei regula figeretur. Quod quo commodius fiat, hic sit jam hujus *commonitorii* modus: ut cetera, quae sequuntur, ab alio sumamus exordio.

3) *Secundum commonitorium interlapsum est; neque ex eo amplius quidquam, quam postrema particula remansit, id est, sola recapitulatio, quae et subjecta est.* Ita habent codd. msc. et editiones vulgatae,

i) *Et posuit quosdam Deus esc.* *1. Cor. XII. 28.*

Huic sancti Pauli testimonio merito adjungitur gravissima ejusdem apostoli sententia, locusque classicus de ecclesiae docentis auctoritate *Ephes. IV. 11*

— 14. *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores — in opus ministerii, ad aedificationem corporis Christi — in unitatem fidei, ut jam non simus parvuli fluctuantes — et circumferamur omni vento doctrinae.* Quibus quidem verbis nihil potest esse testatus, quam divinae providentiae, quae in sui dispositione non fallitur, dum ecclesiae suae dedit pastores et doctores, fuisse semper et esse, ut, quae recta sunt, atque divinis praceptionibus consentanea, praedicentur: ne simus parvuli fluctuantes. i. e. ne maneamus perpetuo pueri, ignari eorum, quae scire nos oportet: ne circumferamur omni vento doctrinae, i. e. ne decipiatur hominum callidorum astutia, rapiti in errores a doctrina Christi alienos, proindeque separati ab unitate fidei. Quodsi, qui verbum Dei in ecclesia interpretantur, errarunt omnes, aut errant, Deo auctore erraret ecclesia: dum doctores a Christo sibi datus sequeretur. Quod blasphemum est dicere.

²⁾ *Pelagiano illi Juliano etc.* Erat Julianus gente Italus, natus in Apulia, familia nobili, Graece et Latine doctus. *Epithalamium* scripsit in ejus nuptias Paulinus Nolanus. Dum erat orthodoxus, charissimus fuit Augustino. Ab Innocentio Romano pontifice ordinatus Eclanensis episcopus in Campania. Disputavit Romae pro Pelagio. Encyclicam Zosimi contra Pelagianos subscribere renuit. *Italia* pulsus, in Ciliciam navigavit ad Theodorum Mopsuestenum. Hinc Constantinopolim delatus, ibique impugnatus a Mario Mercatore, jussus est, vertere solum. Pro Juliano scripsit Nestorius ad Coelestinum papam. In synodo

Ephesina, ad quam proficiscentem *Nestorium*, in itinere comitabatur *Julianus*, uterque est damnatus. Post varios casus, quemadmodum pollicitus est *Vignierius*, se ostensurum ex codd. msc., idoneisque testimoniis, tandem in *Sicilia* ludimagister fatis concessit infelix ille *Julianus*. Haec, aliaque, maxime illa, quae attinent ejus scripta, atque concertationes cum *Augustino* habitas, accurate, copi seque enarrat *Norisius* Tom. I. operum theol.; unde nos quoque nostra decerpsimus.

3) *Secundum commonitorium etc.* De secundo commonitorio haec habet *Gennadii* Cujus operis quia secundi libri in scedula partem, a quibusdam furatam, perdidit; recapitulato ejus paucis sermonibus sensu primo (aliis pristino) compedit, et in librum unum (al. uno libro) edidit. Si, quod ait *Gennadius*, furtive surreptum est Commonitorium secundum: cur ea de jactura silet in praefatione *Vincentius*? Tantum loquitur de emendando, et limando commonitorio. Cumque pervenit ad finem Commonit. I. cap. 40., solum facit mentionem de *recapitulatione* Commonitorii II., quam ex illius naufragio relictam esse affirmat; si tamen haec verba *Vincentii* sunt.

C A P U T X L I.

Recapitulatio commonitorii primi.

Quae cum ita sint: jam tempus est, ut ea, 1) quae duobus his *commonitoriiis* dicta sunt, in hujus secundi fine recapitulemus. Diximus in superioribus, hanc fuisse semper, et esse hodieque catholicorum consuetudinem, ut fidem veram duobus his modis approbent: primum divini canonis auctoritate; 2) deinde ecclesiae catholicae traditione; 3) non quia canon solus non sibi ad universa sufficiat; sed quia verba divina pro suo plerique arbitratu interpretantes, varias opiniones erroresque concipient; atque ideo necesse sit, ut ad unam ecclesiastici sensus regulam scripturae coelestis intelligentia dirigatur, in his duntaxat praecipue quaestionibus, quibus totius catholici dogmatis fundamenta nituntur. Item diximus, in ipsa rursus ecclesia universitatis pariter et antiquitatis consensionem spectari oportere; ne aut ab unitatis integritate in partem schismatis abrumpamur, aut e vetustatis religione in haerescon novitates praecipitemur. Item diximus, in ipsa ecclesiae vetustate duo quaedam vehementer studioseque observanda, quibus penitus inhae-

rere deberent, quicunque haeretici esse nol-lent: primum siquid esset antiquitus ab om-nibus ecclesiae catholicae sacerdotibus uni-versalis concilii auctoritate decretum; deinde siqua nova exsurgeret quaestio, ubi id mini-me reperiretur, recurrentum ad sanctorum patrum sententias, eorum duntaxat, qui suis quisque temporibus et locis in unitate com-munionis et fidei permanentes magistri pro-babiles exstitissent; et quidquid uno sensu atque consensu tenuisse invenirentur, id ec-clesiae verum et catholicum, absque ullo scrupulo judicaretur.

1) *Quae duobus his commonitorii dicta sunt etc.*

Commonitorio priore praecipi, antiquitatem doctrinæ retinendam esse, fugiendam vero dogmatum in rebus fidei novitatem, omnes fere paginae perspicuo indi-cant. In eo enim stabiendo themate totum, quod exstat, nempe liber *Vincentiani commonitorii* pri-mus impenditur. Quid in libro secundo, qui deper-ditus est, scripserit, incomptum est, nisi quod in capitibus 42. et 43., quae sequuntur, nomine *reca-pitulationis* quaedam referuntur, assuta ab ipso auctore, sive, ut alii malunt, a *Gennadio*, sensum auctoris imitante. Lubet, conjecturas varias, quas vir doctus in epistola an. 1677. VI, Kal. Martii ad *Norisium* protulit, huc transscribere: Suspicor, in-quit epistolographus, alteram *commonitorii Vincentiani* partem, quam excidisse dolemus, *Gennadius* vero suffuramat queritur, apertius *Augustini* doc-trinam impugnasse, eamque ob causam vel subreptam

ab amicis illius, odium a *Vincentii* capite removere
sipientibus, vel superiorum auctoritate suppressam,
vel a *Vincentio* ipso opusculum retractante resectam,
vel denique, si forsitan post mortem ejus e tenebris emis-
sum, meliori consilio ab haeredibus schedarum ista poste-
riori parte fuisse minutam. Si enim, quod *Gennadius* scribit, secundi libri maximam in schedulis par-
tem a quibusdam *furatam* perdidit, vix alia animo
occurrit ratio, quae ad id amicos familiaresque com-
moverit, quam quod aliquid pars illa continebat *Au-*
gustini memoriae minus honorificum ac forsitan inju-
riosum. De furto, quod *Gennadius* commemorat,
silet prorsus *Vincentius*; atque ita suam utrius-
que libri anacephaleosin concinnat, ut illam non ex
occasione furti conjectam testetur; sed *ut memoria*
commonendi assiduitate reparetur, et prolixita-
tis fastidio non obruatur. Aut igitur male divinat
Gennadius: aut etiam fallere voluit, furtum menti-
tus; ne videlicet *Augustinianae* id doctrinae honori
cederet, ac Semipelagianorum suorum dedecori: si
Vincentius vel non ausus esset palam, ac publice
Augustini dogmata insectari: vel forsitan a Semipela-
gianismo desciscens, partem hanc sponte propria
aeternis ignibus addicere natus esset. Utut sit, hoc
factum ex libri ipsius inspectione liquet, non unius
libri secundi, quod scribit *Gennadius*, recapitula-
tionem, sed utriusque ab auctore esse conjectari; ex
quo suspecta iterum redditur de *Vincentio Lerinen-*
si narratio, vel falsitatis, vel suppositionis; quod
de aliis bene multis, libro *de viris illustribus*, docti
non dubitant.⁴ Hacenus laudatae epistolae fragmen-
tum, quod referunt fratres *Ballerini* Tom. I. opp.
hist. Norisii pag. 493. seq. Facile praevideo, iis,
qui hasce conjecturas legent, pro eo, quo in *Vin-*

centium comparati sunt animo, placituras esse, displiciturasve. Me quod attinet; ut tueri omnes non ausim; ita nee velim rejicere singulas.

2) *Deinde ecclesiae catholicae traditionem etc.* In dijudicandis probandisque fidei dogmatis ecclesiae traditionem esse necessariam, tenuisse antiquos patres, liquet ex testimoniiis *Irenaei, Tertulliani, Chrysostomi, Augustini;* quae cap. I. commonitorii adduximus. Quibus nunc addo *Origenem*, qui in praefat. operis *τεπι ἀρχῶν*, postquam scripsera, illam solam credendum esse veritatem, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordet traditione; hunc in modum prosequitur reprehendens haereticos, qui scripturas jactitabant, rejecta traditione: *Nos, inquit, illis credere non debemus; nec exire a prima et ecclesiastica traditione; nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem ecclesiae Dei tradiderunt nobis.*

3) *Non quia canon solus . . . non sufficiat etc.* Quid sit de hac *Vincentii sententia*, monuimus Cap. II. commonitorii. Non omnia dogmata sacris litteris consignasse apostolos, traditum est ab antiquis christianaee ecclesiae magistris. Nonnullos eam in rem laudavimus commonitorii loco cit. Lubet iisdem quosdam adnectere. Huc certe spectat *Basilius*, qui in Opere de Spiritu sancto cap. 29. ita habet: *Plurima arcana citra scripturam recepta sunt nobis , Arbitramur autem apostolicum esse, stiam non scriptis traditionibus inhaerere.* His consona leguntur apud *Greg. Nyssenum*: *Sufficit,* inquit Lib. III. contra *Eunomium*, *nobis ad dogmatis probationem; quod venientem ad nos a*

majoribus traditionem habemus; velut haereditariam quandam per successionem ab apostolis continuato per sequentes sanctos seris transmissam. Audiendus demum beatus Hieronymus, qui i dial. adv. Lucif. hac ratione disputans: Alia multa, inquit, quae per traditionem in ecclesia observantur, auctoritatem sibi scriptae legis usurparunt. Alia id genus patrum testimonia suppeditat Nat. Alex. Hist. eccl. Sec. III, dissert. 13. et 14.

C A P U T XLII.

Recapitulatio Commonitorii secundi.

Quod ne praesumptione magis nostra,
quam auctoritate ecclesiastica promere vide-
remur, exemplum adhibuimus sancti concilii,
quod ante triennium ferme 1) in Asia apud
Ephesum celebratum est V V. CC. *Basso Antiochoque* consulibus: ubi cum de sanciendis
fidei regulis disceptaretur, neque illic forsi-
tan profana novitas 2) in modum perfidiae
Ariminensis obreperet, universis sacerdoti-
bus, qui illo 3) ducenti fere numero conve-
nerant, hoc catholicissimum, fidelissimum at-
que aptissimum factu visum est, ut in medi-
um sanctorum patrum sententiae proferren-

tur, quorum alios martyres, alios confessores, omnes vero catholicos sacerdotes fuisse, et permancisse constaret; ut scilicet rite atque solemniter, ex eorum consensu atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur. Quod cum ita factum foret: jure, meritoque impius ille *Nestorius*, catholicae vetustati contrarius: beatus vero *Cyrillus*, sacrosanctae antiquitati consentaneus judicatus est. Et ut ad fidem rerum nihil deesset, tam nomina et numerum (licet ordinem fuissemus obliiti) edidimus eorum patrum, juxta quorum ibidein concinentem sibi, concordemque sententiam, et legis sacrae proloquia exposta sunt, et divini dogmatis regula constabilita est: quos, ad confirmandam memoriam, hic quoque recensere nequaquam superfluum est. Sunt ergo hi viri, quorum in illo concilio vel tanquam judicum, vel tanquam testimonium scripta recitata sunt: 4) Sanctus *Petrus Alexandrinus* episcopus, doctor praestantissimus et martyr: sanctus *Athanasius*, ejusdem civitatis antistes, magister fidelissimus, et confessor eminentissimus: sanctus *Theophilus*, ejusdem idem urbis episcopus, vir fide, vita, scientia satis clarus; cui successit venerandus *Cyrillus*, qui nunc *Alexandrinam* illustrat ecclesiam. Et ne forsitan unius cattatis ac provinciae doctrina haec putaretur; adhibita sunt etiam illa *Cappadociae* lumina,

sanctus *Gregorius* episcopus et confessor de *Nazianzo*, sanctus *Basilius Caesareae Cappadociae* episcopus et confessor; sanctus item alter *Gregorius Nyssenus* episcopus, fidei, conversationis, integritatis et sapientiae merito, fratre *Basilio* dignissimus. Sed ne sola *Graecia*, aut *Oriens* tantum, verum etiam *Occidentalis* et *Latinus* orbis ita semper sensisse approbaretur: lectae sunt quoque ibi quaedam ad quosdam epistolae sancti 5) *Felicis* martyris et sancti *Julti* urbis *Romae* episcoporum. Et ut non solum caput orbis, verum etiam latera illi judicio testimonium perhiberent, adhibitus est a *meridie* beatissimus *Cyprianus*, episcopus *Carthaginensis* et martyr; a *Septemtrione* sanctus *Ambrosius*, *Mediolanensis* episcopus 6). Hi sunt igitur omnes apud *Ephesum* sacrato decalogi numero magistri, consiliarii, testes judicesque producti, quorum beata illa synodus doctrinam tenens, consilium sequens, credens testimonio, obediens judicio, absque taedio, praesumptione et gratia de fidei regulis pronuntiavit. Quamquam multo amplior maiorum numerus adhiberi potuerit; sed necesse non fuit: quia neque multitudine testium negotii tempora occupari oportebat; et decem illos non aliud vere sensisse, quam ceteros omnes collegas suos nemo dubitabat. Post quae omnia adjecimus etiam beati *Cyrilli*

sententiam; quae gestis ipsis ecclesiasticis continetur. Namque cum lecta esset 7) sancti Capreoli, episcopi Carthaginensis epistola, qui nihil aliud intendebat, et precabatur, nisi ut, expugnata novitate, antiquitas defenseretur, ita episcopus *Cyrillus* prolocutus est, et definivit; quod hic quoque interponere non abs re videtur. Ait enim in fine gestorum: *Et haec, inquit, quae lecta est epistola venerandi et multum religiosi episcopi Carthaginensis Capreoli fidei gestorum inseretur: cuius aperta sententia est. Vult etenim antiquae fidei dogmata confirmari; novitia vero et superflua adinventa, et impie promulgata reprobari atque damnari.* Omnes episcopi acclamaverunt: *Haec omnium voces sunt: haec omnes dicimus: hoc omnium votum est.* Quae tandem omnium voces, aut quae omnium vota, nisi ut, quod erat antiquitus traditum, teneretur, quod adinventum nuper, exploderetur? Post quae admirati sumus, et praedicavimus, quanta concilii illius fuerit humilitas et sanctitas, ut tot numero sacerdotes, 8) paene ex majori parte metropolitani, tantae eruditio[n]is tantaeque doctrinae, ut prope omnes possent de dogmatibus disputare, quibus propterea ipsa in unum congregatio audendi abs se aliquid, et statuendi addere videretur fiduciam: nihil tamen novarent; nihil prasumerent, nihil sibi penitus arrogarent; sed

omnimodis praecaverent, ne aliquid posteri traderent, quod ipsi a patribus non accepissent: et non solum in praesenti rem bene disponerent; sed etiam post futuris exempla praebarent, ut et ipsi scilicet sacratae vetustatis dogma colerent; profanae vero novitatis adinventa damnarent. Invecti etiam sumus in 9) *Nestorii* scelaratam praesumptiōnem, quod sacram scripturam se primum, et solum intelligere, et omnes eos ignorasse jactaret, quicunque ante se magisterii munere praediti divina eloquia tractavissent; universos scilicet sacerdotes, universos confessores et martyres, quorum alii explanas- sent legem Dei, alii vero explanantibus con- sensissent, vel credidissent; totam postremo etiam nunc errare, aut semper errasse asse- veraret ecclesiam, quae, ut ipsi videbatur, ignaros, erroneosque doctores et secuta esset, et sequeretur.

i) *In Asia apud Ephesum etc.* *Theodosius* impe- rator, ut a *Nestorio* excitatos in Oriente tumultus componeret, per *Petronium V. C.* cum *Coelestino* pontifice egit de cogenda oecumenica synodo; quam ad festum pentecostes an. 431. indixit *Ephesum*; vocavitque ad id concilii metropolitas potissimum; ex episcopis vero eodem invitavit beatum *Augusti- num*, fama sanctitatis et sapientiae late celebrem; de- stinato ad id inumeris *Ebagno Magistratuno*, qui ubi *Carthaginem* cum sacris divalibus appulit, a

Capreola illius civitatis episcopo comperit, *Augustinum* obiisse. Acceptis itaque a *Carthaginensi* episcopo litteris de obitu *Augustini* Constantinopolim ad imperatorem rediit; velut referunt *Capreolus* in epistola actis concilii *Ephesini* inserta; et *Libratus* Breviarii cap. 5.

2) *In modum perfidiae Ariminensis etc.* De conventu *Ariminensi*, tanquam re inter omnes nota, non adjeimus, nisi verba quaedam sancti *Augustini*, Epistola 93. alias 48. dolet *Hipponensis* prae-
sul, *Ariminenses patres delusos fuisse obscuris
verbis, ut putarent, hoc credi ab Arianis, quod
ipsi credebant.* Et in Lib. II. contra *Maximi-
num* cap. 14. multos, dicit in concilio *Ariminen-
si paucorum fraude fuisse deceptos.*

3) *Ducenti fere numero convenerant etc.* De numero episcoporum, qui erant praesentes in synodo *Ephesina*, non videntur auctores inter se consentire. Immo unus idemque *Cyrillus* non unum idemque de patrum numero ubique statuit. *Ad populum enim,
et clerum Alexandrinum* scribit, fuisse plus minus ducentos: in libellis pro se et *Memnone* synode exhibitis, plus quam ducentos: in libello ad prin-
cipem contra *Joannem Antiochenum* ducentos et decem. *Marius Mercator* in praefat. ad symbolum *Theod.* recenset ducentos septuaginta quatuor. Tra-
dunt alii, centum sexaginta duntaxat subscriptissime damnationi *Nestorii*. Alii denique referunt, fuisse centum nonaginta octo, qui subscriptis nominibus damnarint *Nestorium*. Sed conciliari haec omnia facile queunt: temporis habeatur ratio. Non oin-
sidi enim episcopi eodem tempore venerunt *Ephesum*:

et qui accesserunt ad sanctam synodum post damnationem Nestorii, ipsi quoque ejus depositioni calculum addidete. Vid. *Berti* in adnotat. ad *Hist. Petriag.* Lib. II. cap. 9.

- 4) *S. Petrus Alex. ep. . . et martyr etc.* Occubuit, imperante Maximino. Scripsit praeter alia, opus *de divinitate*, ex quo in *Ephesina* synodo recitata est pericopa, quæ commendatur in rebus religionem attinentibus doctrinæ antiquitas; rejecta nivitiorum dogmatum vanitate.
- 5) *Felicis martyris et sancti Julii etc.* Non diffitetur *Vincentius*, se ordinem fuisse oblitum, quo patrum scripta in synodo recitata fuerint. Post *Petrum* enim et *Athanasiū* erant memorandi *Julius* et *Felix*, post *Theophilum Cyprianus*; deinde *Ambrosius*; quibus subjungendi erant *Nazianzenus*, *Basilius*, *Nyssenus*; non omissō *Attico* et *Amphilochio*, ut *Salinas* adnotat.
- 6) *Hi sunt igitur omnes etc.* Non deceperunt duntaxat erant patres, quorum testimoni in synodo *Ephesina* ad profligandam Nestorii haeresin producta sunt; velut perperam affirmat *Vincentius*; fortasse deceptus codice vitiato. Praetermittendi quippe non erant *Amphilochius* et *Atticus*; ut ex codd. msc. et *Mario Mercatore* ostendit *Harduinus* Tom. I. C. C. pag. 147; quemadmodum post *Baluzium* adnotavit *Salinas*.

Erat autem *Amphilochius*, gente *Cappadocia*, episcopus *Iconiensis* in *Licaonia*, humanis divinisque litteris apprime excultus, comparatus a sancto *Hieronymo* gentilibus suis *Basilio* et *Gregorio*.

Atticus vero successor sancti *Joannis Chrysostomi* in sede C. P., de re christiana praeclare meritus, strenuusque vindex catholici dogmatis adversus *Pelagianos*; ideoque multum laudatus ab *Hier. Aug.*, et patribus aliis; celebratusque a S. *Prospero* carm. de ingratis cap. III. hunc in modum;

Quid loquar, et curam magnam, quam gesit in urbe

Constantinopoli docto bonus ore sacerdos;

Atticus, antiqua legatos haereticorum

Confutando fidei? de qua nunc impia corda,

Quamvis se obducta tegerent velamine forma

Judicii, et tacitae tulerant tormenta repulsae.

De Attico legi meretur *Norisius* Tom. I. Opp. theolog. cum adnotat. *Berti*.

7) *Sancti Capreoli episcopi Curthag. epistola etc.*
Ex Africa, ut monet *Schmalfusius* pag. 233. Tom. III. hist. rel. et eccl. christ. per *Wandalorum* incursionses *Capreolus Carthug. episcopus* cum adesse synodo prohiberetur; *Bassulam* misit, ecclesiae *Carthag. diaconum*, qui *Africanae ecclesiae fidem, nomine omnium testaretur*. Atque hoc sensu synodi patres scripserunt ad principem, *omnem ecclesiam Africam adesse*. *Capreoli* verba, quae festivis patrum acclamationibus excepta fuerunt, de sumta ex ejus epistola, missa ad synodum, praeter ea, quae supra adduximus, haec sunt: „*Vestrarum sanctitatem iterum atque iterum rogatam cupio, et spiritu sancto cooperante in cordibus vestris in omnibus, quae acturi estis, praesto futurum non dubito; novas doctrinas, priscae auctoritatis robore*

„instructi e medio profligetis; atque ita quibuscumque
„novis erroribus resistati“

8) *Paene ex majori parte metropolitani etc.* Ex diyalibus Augustorum litteris, quibus indicta est *Ephesina synodus*, liquido constat, jussos esse metropolitas, *Ephesum* ad diem dictam accurrere, data facultate, ut nonnullos, quos nimis idoneos judicaverint, provinciae suae episcopos, simul eodem secum adducant: ita ut neque necessarii ejus provinciae ecclesiis desint; neque ii rursum, qui ad eam rem apti censebuntur, in sacra synodo desiderentur. Unde corrigenda est eorum persuasio, qui putant, ad constituendum generale concilium esse conditionem necessario requisitam, ut vacentur episcopi omnes.

9) *Nestorii sceleratam praesumptionem etc.* Sub nomine *Nestorii* a *Vincentio* hic loci intellectum esse sanctum *Augustinum*, affirmat *Hottigerus* Lib. II, Hist. de praedest. et grat. p. 334. Quis narravit *Turicensi* interpreti, sub *Nestorii* larva delitescere *Augustinum*? Qui vel *Nestorium*, vel *Augustinum* aut *Vincentium* parumper noverit, non ignorabit; quam parum fidei tribuendum sit asserto. ad quod confirmandum nulla ratio accedit. Accusavit *Vincentius* *Augustinum* haereseos? Permit-tamus; quod alii negant. Haeresis error est et vilium intellectus, in quod labuntur interdum etiam sanctissimi; ut exempla produnt. Erat *Augustinus* alienus ab omni fastu; sensitque de se humiliiter, ac demisse; velut omnia ejus gesta, aequa ac scripta affectim testantur. Qua igitur fronte, quin nomini, famaque sua plurimum officaret, potuisset *Vincentius*

scribere, *Augustinum jactitasse, se primum et solum intelligere scripturam sacram: omnes eos fuisse ignoros, quicunque ante se divina eloquia tractavissent etc.* Quis denique tantam calumnianum libidinem conciliabit cum sanctitate vitae, ac morum probitate, qua erat presbyter *Lerinensis*.

C A P U T X L I I I .

Ejusdem continuatio et finis:

Quae omnia licet cumulate, abundeque sufficerent ad profanas quasque novitates obruendas, et extinguendas; tamen nequid deesse tantaे plenitudini videretur, ad extremum adjecimus geminam 1) apostolicae sedis auctoritatem, unam scilicet sancti papæ *Sixti*, qui nunc *Romanam* ecclesiam venerans illustrat; alteram decessoris sui beatae memoriae papæ *Cœlestini*, quam hic quoque interponere judicavimus. Ait itaque sanctus papa 2) *Sixtus* in epistola, quam de causa *Nestorii Antiacheno* misit episcopo Ergo, inquit, *quia sicut ait apostolus, fides una est, quae evidenter obtinuit, dicenda credamus, et tenenda dicamus.* Quae sunt tandem illa credenda et dicenda? sequitur et ait: *nil ultra, inquit, liceat novitati: quia nihil addi convenit vetustati. Perspicua majorum fides, et credulitas*

nulla coeni permixtione turbetur. Omnino apostolice; ut majorum credulitatem perspicuitatis lumine ornaret; novitas vero profanatates ceni permixtione describeret. Sed et sanctus papa 3) *Caelestinus* pari modo eademque sententia. Ait enim in epistola, quam Galorum sacerdotibus misit, arguens eorum convenientiam, quod antiquam fidem silentio constituentes, profanas novitates exsurgere patarentur: *Merito, inquit, causa nos respicit: si silentio foveamus errorem.* Ergo corripiantur hujusmodi. *Non sit his liberum, habere pro voluntate sermonem.* Hic aliquis fortasse addubitet, quinam sint illi, quos habere prohibeat liberum pro voluntate sermonem, vetustatis praedicatores; an novitatis adinventores. Ipse dicat, dubitationem legentium ipse dissolvat. Sequitur enim; *Desinat,* inquit, *si ita res est,* (id est, si ita est, ut apud me quidam urbes et provincias vestras criminantur, quod eas quibusdam novitatibus consentire noxia dissimulatione faciatis) *Desinat itaque,* inquit, *si ita res est, incessere novitas vetustatem.* Ergo haec fuit beati *Coelestini* beata sententia, ut non vetustas cessaret obruere novitatem; sed potius novitas desineret incessere vetustatem. Quibus apostolicis catholicisque decretis quisquis refragatur: insultet primum omnium necesse est memoriae sancti *Coelestini*, qui statuit, ut desineret incessere novi-

tas vetustatem; deinde irrideat definita sancti *Sixti*, qui censuit, ne ultra quidquam licet novitati: quia nihil addi convenit vetustati; sed ei beati *Cyrilli* statuta contemnat, qui venerandi *Capreoli* zelum magna praedicatione laudavit, quod antiquae fidei dogmata confirmari cuperet; novitia vero adinventa damnari: *Ephesinam* quoque synodus, id est, totius paene Orientis sanctorum episcoporum judicata proculcet, quibus divinitus placuit, nihil aliud posteris credendum decernere; nisi quod sacrata sibique in Christo consentiens sanctorum patrum tenuisset antiquitas, quique etiam vociferantes, et acclamantes uno ore testificati sunt, has esse omnium voces, hoc omnes optare, hoc omnes censemre; ut, sicut universi fere ante *Nestorium* haeretici, contemnentes vetustatem, et asserentes novitatem damnati fuere; ita ipse quoque *Nestorius*, auctor novitatis, et impugnator vetustatis condemnaretur. Quorum sacrosanctae et coelestis gratiae munere inspirata consensio sicui displicet: quid aliud sequitur, nisi ut profanitatem *Nestorii* asserat non jure damnatam? Ad extremum quoque universam Christi ecclesiam, et magistros ejus apostolos et prophetas, praecipue que tamen beatum apostolum *Paulum*, velut quaedam purgamenta contemnat: illam, quod a religione colenda et excolenda semel sibi

traditae fidei nunquam recesserit; illum vero, qui scripserit: *O Timothee, depositum custodi: devitans profanas vocum novitates.* Et item: *Siquis vobis annuntiaverit, praeterquam, quod accepistis, anathema sit.* Quod si neque apostolica doctrina, neque ecclesiastica decreta temeranda sunt, quibus secundum sacrosanctam universitatis et antiquitatis consensionem, cuncti semper haeretici, et ad extremum *Pelagius, Coelestius, 4) Nestorius*, jure meritoque damnati sunt, necesse est profecto omnibus deinceps catholicis, qui sese ecclesiae matris filios probare student, ut tantae sanctorum patrum fidei inhaereant, agglutinentur, immoriantur; profanas vero profanorum novitates detestentur, horrescant, insectentur, persequantur.

Haec sunt fere, quae duabus *commonitorii*s latius disserta, aliquanto nunc brevius, recapitulandi lege, constricta sunt; ut memoria mea, cui adminiculandae ista confecimus, et commonendi assiduitate reparetur, et prolixitatis fastidio non obruatur.

*Explicit tractatus Peregrini contra
haereticos.*

1) *Apostolicae sedis auctoritatem etc.* Primum Rotmani pontificis tunc agnatum fuisse, tum a *Cyrillo*, qui causam *Nestorii* ad sedem apostolicam devolvit, quam a *Nestorio*, qui contra devolutio-

nem nunquam exceptit, manifestum est. Causam quidem Nestorii ad se devolutam Coelestinus, in concilio Romano, examini subjicit; cumque comperisset, vera esse, quae de Nestorio nuntiabantur: datis ad Nestoriū litteris, comminatus ipsi est excommunicationis sententiam; nisi intra dies decēm, a recepta epistola, suum errorem verbo et scripto retractaret. Executionem vero sententiae Cyrillo Alexandrino commisit. Haec, aliaque ex actis concilii refert Schmalz fusi⁹ T. III. Hist. rel. et eccl. christ. pag. 229. seq.

2) *Sixtus in epistola, quam Antiocheno misit etc.* Antiochenus iste episcopus, ad quem Nestorianae facti is causa, Sixtus papa dedit litteras erat Johannes, fautor Nestorii et Cyrilli adversarius; notus in annalibus ecclesiasticis a tumultibus, quos i synodo Ephesina, ac etiam postea excitavit. Agenite potissimum Theodosio Augusto, rediit cum Cy rillo in concordiam, et anathema Nestorio diit.

3) *Papa Coelestinus in epistola etc.* Auctorem Commonitorii hanc Coelestini epistolam pro Augustino et ejus discipulis ad episcopos Galliae scriptam, mira arte ac inani opera in contrariam partem detorsisse, indicavimus in prolegomenis §. VII. not. 7. Idem confirmat Norisius adductis in medium insignium scriptorum testimoniis Tom. III. operum theol. Dissert. III. adversus scrupulos anonymi Galli, Benedictini et Sorbonae doctoris. Monet, id quod fide non bona scrupulorum auctor reticuit, Vincen tium epistolae pontificiae paraphrasten, ter repli cando illam exceptionem: si ita res est, delatio nem Prospere et Hilarii, falsitatis insimulasse. Quod magis clucere videtur ex his, quae exegeta epistoli-

cus addidit; dum pontificem, quasi de accusations apud re facta subdubitaret, ita loqui facit: *Si ita est, apud me quidam urbes et provincias vestras criminantur.* Neque dicant, qui aliter sentiunt, esse incredibile, utramque litigantium partem papae litteras pro se allegasse. Exploratum quippe est, quod in disputationibus theologicis saepe fit, praecipue ubi agitur de dogmate non definito, utramque dissentientium partem eadem scripturae sacrae, conciliorum, patrum aut pontificum verba in sententiae suas favorem interpretari. Adjicere exempla in re clara, quid juvat? Ut nequid dissimulemus, fatendum est, aegre aut vix excusari hic posse *Vincenzium*; nisi dicas, *Companionii* posteriora quatuor capita; aut *Recapitulationem* utriusque libri non esse *Vincentii*; sed *Gennadii*, aut alterius scho-*lae Semipelagiana*e alumni. Qua de re nonnulla adnotata sunt in Prolegomenis l. e. Sed causae desperatae defensoribus relinquamus id solatii.

- 4) *Nestorius jure meritoque damnati etc.* Damnationis sententiam, quam patres *Ephesini* in *Nestorianum* pronuntiarunt, legere est *Act. I.* hunc in modum: „Deprehendentes itaque partim ex litteris, „partim ex sermonibus, quos nuperrime in hac „*Ephesiorum* metropoli habuit, quique testimoniosis „comerti sunt, illum impiè sentire, et praedicare; „et coacti per sacros canones et epistolam sanctissimi fratri nostri et commi istri *Coelestini*, Romanae ecclesiae episcopi, lacrymis subinde perfusis, ad lugubrem „hanc contra eum sententiam necessario venimus.“ Postquam lectum fuerat *Nicaenum* symbolum — lectis *Cyrilli* et *Coelestini* epistolis — lectis patrum antiquorum sententiis — auditis denique episcoporum

suffragiis, approbatum fuit dogma de matre Deipara, et unitate personae in Christo. Ab opposito, lectis epistolis et capitulis Nestorii aliisque, quae ex ejus sermonibus et libris excerpta fuerant, omnes patres uno ore concilamarunt; Quicunque Nestorium non anathematizat; unathema sit. Omnes Nestorii epistolam et dogmatu anathematisamus. Omnes Nestorium haereticum anathematisamus. Omnes, qui cum Nestorio communisant, anathematizamus.

Quot quantique motus fuerint excitati adversus Nestorii condemnationem, haud facile est dictu. Neque post illius obitum destiterunt ipsius causam age re Theodoretus Cyrensis et Ibas Edessenus. Ut propagaretur Nestorianorum lues, Theodori Tharsensis, et Theodori Mopsuestensis scripta Nestorianis dogmatis consona transferri curarunt in linguis alias, Syrorum, Armenorum, Persarum.

At neque succendentibus seculis defuere, qui Nestorii patrocinarentur sive personae, sive causae. Huc revocantur Dupinius ex catholicis, qui tamen mutata mente resipuit; ex Protestantibus plures cum Davide de Rodan, Saurino, Albertino, La Croze, Jablonski, Basnage, Salig, aliis.

Qui causantur, rem omnem esse gestam contra ius et las, praeципiti judicio, livore Cyrilli, non intellecta Nestorii mente; legant, quae in eam rem habent Orsius, Nat. Alex., Garnerius in dissertatione de haeresi et libris Nestorii, et synodis habitie in causa Nestorianorum; quibus adde Doucenium, scrip-

torem *Historiae Nestorianismi*; Gallice. Quid tandem sit de *Nestorianis* in oriente, tradunt *Bzovius* ad annum Christi 1330, *Richardus Simonius* in hist. crit. fidei, et rituum Orient. *Joannes Morinus* de sacris ordinat. *Renaudotius* in Liturg. Orient. Quibus omnibus anteponendus est *Joseph Simon Assmannus* Tom. III. bibl. Orient. Parte II.

C O R O N I S.

Quae per decursum hujus opusculi ex antiquis potissimum monumentis patrum documenta deditimus, coronis loco complectimur.

1. Praeter scriptutae sacrae divinos libros, qui primariam fidei christianae regulam constituunt, agnoscenda est sacrae traditionis necessitas.
2. Neglecta, contemptave majorum traditione, scriptura sacra neque recte intelligi, neque veraciter exponi; sed in sensu alieno torqueri solet.
3. Quicunque divinas litteras suo arbitrio interpretari prae sumunt, sibi potius credi volunt, quam verbo Dei.
4. In christianis coetibus, qui suis indulgent, ut privatus quisque sit sacrarum scripturarum interpres legitimus, aut dogmatum religionis arbiter, sive judex; constare non posse doctrinae ei fidei consensionem, quam Christus et apostoli commendarunt, sole clarius est.

5. Aequo est perspicuum, neminem, qui divina eloqua humano sensu dijudicanda sibi sumpserit, de sua fide posse esse certum; tantum abest, ut pro illa emori-

possit. Quis enim prudens pro humanis inventis, commentisque fallacibus, aut pro mendacio vitam dare possit, aut velit?

6. Non minus constat, quo quidem nihil est luctuosius, in tanta dogmatum incertitudine, varietate et repugnantia, nihil opis suppeteret, quo tantis malis medela ferri, aut finis imponi posset. Quidquid enim crediderint, aut non crediderint arbitrii id genus scripturarum interpres, a praecognitis semel opinionibus, utut portentosae sint, se dimoveri nulla ratione, nulliusve auctoritate patiuntur; causantes, suo se jure uti, sentire, arbitrari, judicare; ut neque de haeresi, neque de blasphemia adversus Deum, neque de impietate atheismi postulari possi aut-damnari: si quidem cum *Spinoza* aut *Edelmanno* responderint, pantheismi illud insanæ mentis monstrum in arcans scripturis se deprehendisse.

7. Quanto his beatior est ecclesiae catholicae status, quae eam sibi legem, perpetuo dictam, religiose custodit et servat, ut ne de fide semel sanctis tradita, ulla ratione, decedat. Quare factum est, ut post tot seculorum decursus, inter mille adversos casus, in veritate avitae fidei, et sacrorum dogmatum unitate, ad hanc usque diem immota steterit. In eadem firmitate constanter perseveraturam esse, ad mundi usque consummationem, divinis promissionibus certi, ac persuasissimi sumus.

Praecatiuncula pro pace ecclesiastica.

Tribue, quod supplices precamur, pro tua immensa misericordia, Pater coelestis, ut ecclesia, quam per Filium tuum unigenitum condidisti, unitate et concordia laetetur. Respice, quaesumus, pro tua pietate dilecti Filii tui, redemptoris nostri, infinita merita, et largire propitius chri-

C O R O N I S.

stianis populis, ut idem sentiant, positisque dissidiis, unanimis versentur in domo tua. Congrega dispersas, errantesque exilicas, easque reduc in ecclesiae catholicae gremium, ut sit ovile unum, in una eademque fidei confessione, atque unius pastoris vocem omnes audiant, et sequantur; quemadmodum constituit ad gloriam nominis tui, nostramque salutem supremus animarum nostrarum pastor Christus Jesus, princeps pacis et Deus verus; qui tecum in unitate spiritus sancti vivit, et imperat per universa aeternitas secula. Amen.

)

C O R R I G E N D A.

<i>Pag.</i>	<i>linea loco</i>	<i>lege.</i>
9	4 communi	communionis
37	1 ub	ubi
39	13 subsellii	subsellii
41	9 munificentia <i>m</i>	munificantiam
44	16 Presperi	Prosperi
48	12 sententialae	sententialae
49	10 est. Coelestini	est Coelestini
55	17 loqui	Logici
58	25 versatus verborum	versatus, verborum
61	2 desinire	definire
79	ult. c).	c)
82	9 excusae	excusae
103	29 et in	et in-
105	16 ipsum ut	ipsum, ut
111	8 nou.	non
121	penult. a)	1)
124	16 Cap. XIII.	cap. XXIII.
129	penult. Contensit	Consentit
139	13 es	et
—	16 adnitatur	—
148	29 Caesar	Caesar.
169	9 fuis-	fuisse
181	ult. ron	non
185	2 atholica	catholica
200	23 e	te
208	penult. uidetur	pudietur
221	5 Originem	Origenem
229	2 la.	la.